Lateinisches Lesebuch.

Von

Lorenz Englmann,
k. Professor am Ludwigsgymnasium in München.

Zweiter Theil.

Bamberg.
Verlag der Buchner'schen Buchhandlung.
1865.

18 – Bg.

Chrestomathie

aus

Nepos, Justin, Cäsar, Cicero, Curtius und Livius.

Von

Lorenz Englmann,

k. Professor am Ludwigsgymnasium in München.

Bamberg.

Verlag der Buchner'schen Buchhandlung.

1865.

Vorrede.

Seit mehr als siebzig Jahren wird darüber gestritten, ob im dritten Jahre des lateinischen Unterrichtes Cornelius Nepos oder eine Chrestomathie zu lesen sei. Diese Frage wurde schon oft aufgeworfen und verhandelt, ohne aber jemals zum Abschlusse gekommen zu sein. Die einen erklären den Nepos für das beste Knabenbuch, die anderen wollen ihn um jeden Preis aus der Schule verbannen. Jede dieser zwei Ansichten hat plausible Gründe für sich aufzuweisen. Mir scheint dies, abgesehen von anderem, anzudeuten, daß die Wahrheit in der Mitte liegt und somit eine Vermittelung der verschiedenen Meinungen möglich ist. Diese Vermittelung nun bezwecke ich durch vorliegendes Lesebuch. Ich meine nämlich, man solle aus Nepos das lesen, was lesenswerth und lesbar ist, aber auch aus andern Klassikern Abschnitte, welche für diese Lehrstufe passen. Hiemit spreche ich zugleich aus, daß ich nicht zu jenen zähle, welche dem Nepos eine Chrestomathie substituiren wollen, die modernes Latein enthält. Ich pflichte nämlich durchaus der Meinung Fr. A. Wolf's bei, der für die betreffende Lehrstufe eine Chrestomathie verlangte, welche leichtes, aber altes Latein ohne schwierige Sachen enthalte. Übrigens glaube ich, daß,

wer ein solches Lesebuch verfaßt, nicht bloß das Recht, sondern auch die Pflicht hat, aus dem ursprünglichen Texte Alles zu entfernen, was nicht mustergiltig ist oder was der Schüler nicht nachahmen darf. Diesem Grundsatze gemäß habe ich am Texte mehrere Änderungen vorgenommen, die von pädagogischer Seite hoffentlich keinen Widerspruch finden. Ferner berücksichtigte ich bei Auswahl der Lesestücke thunlichst dasjenige Moment, welches für Nepos spricht, nämlich das biographische, auch in den aus anderen Klassikern genommenen Abschnitten. Mit den Anmerkungen und dem Wörterbuche wollte ich ermöglichen, daß der Schüler, der seine Grammatik gelernt hat, im Stande wäre, eine treue Übersetzung des lateinischen Textes selbst zu finden. Möchte es mir gelungen sein das zu leisten, was ich erstrebte!

Englmann.

Inhaltsangabe.

Cornelius Nepos.

Justinus.

G. Julius Caesar.

Cornelius Nepos.

I. Die Schlacht bei Marathon (490 v. Ch.).

1. Darius, Persarum rex, hortantibus amicis, ut Graeciam redigeret in suam potestatem, classem quingentarum navium comparavit eique Datim praefecit et Artaphernem hisque ducenta peditum, decem milia equitum dedit, caussam interponens, se hostem esse Atheniensibus, quod eorum auxilio Iones Sardes expugnassent[1] suaque praesidia interfecissent. Illi praefecti regii classe ad Euboeam appulsa celeriter Eretriam ceperunt omnesque ejus cives abreptos in Asiam ad regem miserunt. Inde ad Atticam accesserunt ac suas copias in campum Marathona[2] deduxerunt. Is est ab oppido[3] circiter milia passuum decem. Hoc tumultu Athenienses tam propinquo tamque magno permoti auxilium nusquam nisi[4] a Lacedaemoniis petiverunt Phidippumque cursorem Lacedaemonem miserunt, ut nuntiaret, quam celeri opus esset auxilio. Domi autem creant decem[5] praetores, qui exercitui praeessent[6], in[7] eis Miltiadem. Inter quos magna fuit contentio, utrum moenibus[8] se defenderent an obviam irent hostibus acieque decernerent. Unus Miltiades maxime nitebatur, ut primo quoque tempore[9] castra fierent. Id si factum esset, et civibus animum accessurum, cum viderent de sua virtute non desperari, et hostes eadem re fore tardiores, si animadverterent audere[10] adversus se tam exiguis copiis dimicare.

[1] 499 v. Chr. [2] griech. Accus., Gr. § 42, 2. [3] nämlich Athen, das die Hauptstadt der Landschaft Attica war. [4] Gr. § 338 A. 5. [5] Zehn Feldherren wurden zu Athen jährlich gewählt. [6] Über den Conjunctiv Gr. § 359; über das Imperf. nach dem histor. Präsens Gr. § 315 A. 3. [7] Gr. § 230, b, 3. [8] Abl. d. Mittels, wir: „hinter den Mauern". [9] Gr. § 273. [10] Der Subjectsaccusativ (Miltiades und die Seinigen) ergänzt sich aus dem Zusammenhang.

2. Hoc in tempore[1] nulla civitas Atheniensibus auxilio fuit praeter Plataeenses. Ea[2] mille misit milites. Itaque horum adventu decem milia armatorum completa sunt; quae manus mirabili flagrabat pugnandi cupiditate. Quo factum est, ut plus quam collegae Miltiades valeret. Ejus ergo auctoritate impulsi Athenienses copias ex urbe eduxerunt locoque idoneo castra fecerunt. Dein postero die sub montis radicibus proelium commiserunt. Datis etsi non aequum locum videbat suis, tamen fretus numero copiarum suarum confligere cupiebat eoque magis, quod, priusquam Lacedaemonii subsidio venirent, dimicare utile arbitrabatur. Itaque in aciem peditum centum, equitum decem milia produxit proeliumque commisit. In quo tanto plus virtute valuerunt Athenienses, ut decemplicem numerum hostium profligarent adeoque perterrerent, ut Persae non castra, sed naves peterent. Qua pugna[3] nihil adhuc exstitit nobilius. Nulla enim umquam[4] tam exigua manus tantas opes prostravit.

[1] Gr. § 161 A. 2. [2] näml. civitas Plataeensis. [3] Abl. der Vergleichung. [4] Gr. § 278.

II. Themistocles.

1. Xerxes cum et mari et terra bellum universae inferret[1] Europae, cum tantis copiis venit, quantas neque ante nec postea habuit quisquam: hujus enim classis mille et ducentarum navium longarum fuit[2], quam duo milia onerariarum sequebantur; terrestres autem exercitus DCC peditum, equitum CCCC milia fuerunt. Cujus de adventu cum fama in Graeciam esset perlata et maxime Athenienses peti dicerentur propter pugnam Marathoniam, miserunt[3] Delphos consultum, quidnam facerent[4] de rebus suis. Consulentibus Pythia respondit, ut moenibus ligneis se munirent. Id responsum quo valeret, cum intelligeret nemo, Themistocles persuasit consilium esse Apollinis, ut in naves se suaque conferrent:

[1] im J. 480 v. Chr. [2] Gr. § 194 A. 3 u. § 196. [3] näml. legatos oder homines; bei mittere ist der Accusativ der Person häufig weggelassen, besonders wenn ein relat. Absichtssatz folgt; letzterer ist hier durch das Supin vertreten. [4] Gr. § 185a, 1, A. 2; über den Deliberativ Gr. § 327a A. 1.

eum[5] enim a deo significari murum ligneum. Quo consilio probato addunt ad superiores totidem naves triremes suaque omnia, quae moveri poterant, partim Salamina[6] partim Troezena deportant; arcem sacerdotibus paucisque majoribus natu ac sacra procuranda tradunt, reliquum[7] oppidum relinquunt.

[5] „das (Gr. § 152) sei die hölzerne Mauer, welche vom Gotte bezeichnet werde." [6] griech. Accus. [7] = reliquam partem oppidi, Gr. § 247, 2.

2. Hujus consilium plerisque civitatibus displicebat et in terra dimicari magis placebat. Itaque missi sunt delecti cum Leonida, Lacedaemoniorum rege, qui Thermopylas occuparent[1] longiusque barbaros progredi non paterentur. Hi vim hostium non sustinuerunt eoque[2] loco omnes interierunt. At classis communis Graeciae trecentarum navium, in qua ducentae erant Atheniensium, primum apud Artemisium inter Euboeam continentemque terram cum classiariis regis conflixit. Angustias enim Themistocles quaerebat, ne multitudine circuiretur. Hic etsi pari proelio discesserant, tamen eodem loco non sunt ausi manere, quod erat periculum, ne[3], si pars navium adversariorum Euboeam superasset, ancipiti premerentur periculo. Quo factum est, ut ab Artemisio discederent et exadversum Athenas apud Salamina classem suam constituerent.

[1] Warum Conjunctiv? Gr. § 359. [2] que, „sondern", Gr. § 363, 1 A. b. [3] Gr. § 331.

3. At Xerxes Thermopylis expugnatis protinus accessit astu[1] idque nullo defendente, interfectis sacerdotibus, quos in arce invenerat, incendio delevit. Cujus flamma perterriti classiarii cum manere non auderent, et plurimi hortarentur, ut domos suas discederent moenibusque se defenderent, Themistocles unus restitit et universos pares[2] esse posse ajebat, dispersos testabatur perituros idque Eurybiadi, duci Lacedaemoniorum, qui tum summae imperii praeerat, fore affirmabat. Quem cum minus, quam vellet, moveret, noctu de[3] servis suis, quem habuit fidelissimum[4], ad regem misit, ut ei nuntiaret suis verbis[5] adversarios ejus in fuga esse. Qui[6] si discessissent, majore cum labore et longinquiore tempore bellum confecturum, cum singulos consectari coge-

[1] näml. Athen. [2] näml. Persis. [3] partitiv. [4] „den treuesten, welchen er hatte", Gr. § 355, 2. [5] Gr. § 217 A. 1. [6] wie aufzulösen? Gr. § 362.

retur; quos[6] si statim aggrederetur, brevi universos oppressurum. Hoc eo valebat, ut ad depugnandum omnes cogerentur. Hac re audita barbarus, nihil doli subesse credens, postridie alienissimo sibi loco, contra opportunissimo hostibus, adeo angusto mari[7] conflixit, ut ejus multitudo navium explicari non posset. Victus ergo est magis etiam[8] consilio Themistocli[9] quam armis Graeciae.

[7] abl. absol., Gr. § 373. [8] Gr. § 248 A. [9] Gr. § 39, 1.

4. Hic[1] etsi male rem gesserat, tamen tantas habebat reliquias copiarum, ut etiamtum his opprimere posset hostes. Iterum ab eodem[2] gradu depulsus est. Nam Themistocles verens, ne bellare perseveraret, certiorem eum fecit id agi[3], ut pons, quem ille in Hellesponto[4] fecerat, dissolveretur atque ipse reditu in Asiam excluderetur, idque ei persuasit. Itaque qua[5] sex mensibus iter fecerat, eadem minus[6] diebus XXX in Asiam revertit seque a Themistocle non superatum, sed conservatum judicavit. Sic unius viri prudentia Graecia liberata est Europaeque succubuit Asia. Haec altera est victoria, quae cum Marathonio possit[7] comparari tropaeo. Nam pari modo apud Salamina parvo numero navium maxima post hominum memoriam classis est devicta.

[1] Adverb. [2] näml. Themistocle. [3] Gr. § 328, 2. [4] Gr. § 230, b, 1. [5] Gr. § 138, 1, d). [6] Gr. § 249. [7] Über den Conjunctiv Gr § 360

5. Magnus hoc bello Themistocles fuit neque minor in pace. Cum enim Phalerico portu neque magno neque bono Athenienses uterentur, hujus consilio[1] triplex Piraeei portus constitutus est isque moenibus circumdatus, ut ipsam urbem dignitate aequaret, utilitate superaret. Idem muros Atheniensium restituit[2] praecipuo suo periculo. Namque Lacedaemonii caussam idoneam nacti propter barbarorum excursiones, qua[3] negarent[4] oportere extra Peloponnesum ullam urbem muros habere, ne essent loca munita, quae hostes possiderent, Athenienses aedificantes prohibere sunt conati. Hoc longe alio[5] spectabat, atque[6] videri volebant. Athenienses enim duabus victoriis, Marathonia et Salaminia, tantam gloriam apud omnes gentes erant consecuti, ut intel-

[1] Gr. § 208 a A. 2. [2] im J. 478 v. Chr. [3] Abl. des Grundes. [4] Über den Conjunctiv Gr. § 360, c. [5] Adverb. [6] Gr. § 351.

ligerent Lacedaemonii de principatu sibi cum his certamen fore. Quare eos quam infirmissimos esse volebant. Postquam autem audierunt muros instrui, legatos Athenas miserunt, qui id fieri vetarent. His praesentibus desierunt ac se de ea re legatos ad eos missuros dixerunt. Hanc legationem suscepit Themistocles et solus primo profectus est; reliqui legati ut tum exirent, cum satis altitudo muri exstructa videretur, praecepit: interim omnes, servi atque liberi, opus facerent neque ulli loco parcerent, sive sacer sive privatus esset sive publicus, et undique, quod idoneum ad muniendum putarent, congererent. Quo factum est, ut Atheniensium muri ex sacellis sepulcrisque constarent.

6. Themistocles autem ut Lacedaemonem venit, adire ad magistratus noluit et dedit operam, ut quam longissime tempus duceret, caussam interponens se collegas exspectare. Cum Lacedaemonii quererentur opus nihilo [1] minus fieri eumque in ea re conari fallere, interim reliqui legati sunt consecuti. A quibus cum audisset non multum superesse munitionis, ad ephoros Lacedaemoniorum accessit, penes quos summum erat imperium, atque apud eos contendit falsa iis esse delata: quare aequum esse illos [2] viros bonos nobilesque mittere, quibus [3] fides haberetur, qui rem explorarent; interea se obsidem retinerent. Gestus est ei mos, tresque legati functi summis honoribus Athenas missi sunt. Cum his collegas suos Themistocles jussit proficisci hisque praedixit, ut ne [4] prius Lacedaemoniorum legatos dimitterent, quam ipse esset remissus. Hos postquam Athenas pervenisse ratus est, ad magistratum senatumque Lacedaemoniorum adiit et apud eos liberrime professus est: Athenienses suo consilio, quod [5] communi jure gentium facere possent, deos publicos suosque patrios ac penates, quo facilius ab [6] hoste possent defendere, muris sepsisse neque in eo, quod inutile esset Graeciae, fecisse. Nam illorum urbem ut propugnaculum oppositum [7] esse barbaris; apud quam jam bis [8] classes regias

[1] Gr. § 216 u. 272, 3 A. 2. [2] Subjectsaccus. [3] quibus fides haberetur vertritt ein Attribut („glaubwürdig"); qui rem explorarent gibt die Bestimmung ihrer Absendung an. [4] Gr. § 329 A. 1. [5] bezieht sich auf sepsisse. [6] Gr. § 224, 5. [7] Gr. § 156 u. 151 A. 6. [8] durch die Schlacht bei Marathon und die bei Salamis.

fecisse[9] naufragium. Lacedaemonios autem male et injuste facere, qui id potius intuerentur, quod ipsorum dominationi, quam quod universae Graeciae utile esset. Quare, si suos legatos recipere vellent, quos Athenas miserant, se remitterent; aliter illos numquam in patriam ab iis receptum iri.

[9] Gr. § 324 A. 3.

7. Tamen non effugit civium suorum invidiam. Namque ob eundem timorem, quo[1] damnatus erat Miltiades, testularum suffragiis e civitate ejectus Argos habitatum[2] concessit. Hic cum propter multas suas virtutes magna cum dignitate viveret, Lacedaemonii legatos Athenas miserunt[3], qui eum absentem accusarent, quod societatem cum rege Persarum ad Graeciam opprimendam fecisset. Hoc[4] crimine absens proditionis damnatus est. Id ut audivit, quod non satis tutum se Argis videbat, Corcyram demigravit. Ibi cum ejus principes animadvertisset timere, ne propter se bellum ipsis Lacedaemonii et Athenienses indicerent, ad Admetum, Molossorum regem, cum quo ei hospitium erat, confugit. Huc cum venisset et in praesentia rex abesset, quo[5] majore religione se receptum tueretur, filiam ejus parvulam arripuit et cum ea se in sacrarium, quod summa colebatur caerimonia, conjecit. Inde non prius egressus est, quam rex eum data dextra in fidem reciperet; quam praestitit. Nam cum ab Atheniensibus et Lacedaemoniis exposceretur publice, supplicem non prodidit monuitque[6], ut consuleret sibi: difficile enim esse[7] in tam propinquo loco tuto eum versari. Itaque Pydnam eum deduci jussit et quod satis esset[8] praesidii dedit. Hic navem omnibus ignotus nautis conscendit. Quae cum tempestate maxima Naxum ferretur, ubi tum Atheniensium erat exercitus, sensit Themistocles, si eo pervenisset, sibi esse pereundum. Hac necessitate coactus domino navis, qui sit, aperit, multa pollicens, si se conservasset. At ille clarissimi viri captus misericordia diem noctemque procul ab insula in salo navem tenuit in ancoris neque quem-

[1] Abl. des Grundes. [2] Supin. [3] im J. 473 v. Chr. [4] Abl. des Grundes, „auf diese Beschuldigung hin." [5] quo — tueretur gehört als Nebensatz zum Folgenden. [6] que, „sondern". [7] Wovon hängt dieser Infinitivsatz ab? Gr. § 323. [8] Warum Conjunctiv? „soviel Bedeckung daß".

quam ex ea exire passus est. Inde Ephesum pervenit ibique Themistoclen exponit; cui ille pro meritis postea gratiam rettulit.

8. Scio plerosque ita[1] scripsisse, Themistoclen Xerxe regnante in Asiam transisse. Sed ego potissimum Thucydidi credo, quod aetate proximus de iis, qui illorum temporum historiam reliquerunt, et ejusdem civitatis fuit. Is autem ait ad Artaxerxen eum venisse atque his verbis epistolam misisse. Themistocles veni ad te, qui plurima mala omnium Grajorum[2] in domum tuam intuli, quamdiu mihi necesse fuit adversum patrem tuum bellare patriamque meam defendere. Idem[3] multo plura bona feci, postquam in tuto ipse et ille in periculo esse coepit. Nam cum in Asiam reverti vellet proelio apud Salamina facto, literis eum certiorem feci id agi, ut pons, quem in Hellesponto fecerat, dissolveretur atque ipse ab hostibus circumiretur; quo nuntio ille periculo est liberatus. Nunc autem confugi ad te exagitatus a cuncta Graecia, tuam petens amicitiam. Quam si ero adeptus, non minus[4] me bonum amicum habebis, quam fortem inimicum ille expertus est. Ea autem rogo, ut de iis rebus, quas tecum colloqui volo, annuum mihi tempus des eoque transacto ad te venire[5] patiaris.

[1] Gr. § 394, 5. [2] partitiver Gen. [3] Gr. § 268. [4] Gr. § 351 A. 1. [5] näml. me, das aus dem vorhergehenden mihi ergänzt wird.

9. Hujus rex animi magnitudinem admirans cupiensque talem virum sibi conciliari veniam dedit. Ille omne illud tempus literis sermonique Persarum se dedidit; quibus adeo eruditus est, ut multo commodius dicatur apud regem verba fecisse, quam ii poterant, qui in Perside erant nati. Hic cum multa regi esset pollicitus gratissimumque illud, si suis uti consiliis vellet, illum Graeciam bello oppressurum, magnis muneribus ab Artaxerxe donatus in Asiam rediit domiciliumque Magnesiae sibi constituit. Namque hanc urbem ei rex donarat, his quidem[1] verbis: quae[2] ei panem praeberet (ex qua regione quinquaginta talenta quotannis redibant); Lampsacum autem, unde vinum sumeret; Myunta, ex qua

[1] quidem hebt hervor; wir sagen hier: „und zwar". [2] Über den Conjunctiv Gr. § 359.

opsonium haberet. Hujus ad nostram memoriam monumenta manserunt duo: sepulcrum prope oppidum[3], in quo est sepultus; statua in foro Magnesiae. De cujus morte multis modis apud plerosque scriptum est; sed nos eundem potissimum Thucydidem auctorem probamus, qui illum ait Magnesiae morbo mortuum neque negat fuisse famam venenum sua sponte[4] sumpsisse, cum se, quae regi de Graecia opprimenda pollicitus esset, praestare posse desperaret. Idem ossa ejus clam in Attica ab amicis sepulta, quoniam legibus non concederetur, quod proditionis esset damnatus, memoriae prodidit.

[3] näml. Magnesia. [4] Gr. § 48.

III. Aristides.

1. Aristides, Lysimachi filius, Atheniensis, aequalis fere fuit Themistocli. Itaque[1] cum eo de principatu contendit: namque obtrectarunt inter se[2]. In his autem cognitum est, quanto antestaret eloquentia innocentiae. Quamquam enim adeo excellebat Aristides abstinentia, ut unus post hominum memoriam cognomine Justus sit appellatus, tamen a Themistocle collabefactus, testula illa[3] exsilio decem annorum multatus est. Qui cum intelligeret reprimi concitatam multitudinem non posse cedensque[4] animadvertisset quendam scribentem[5], ut patria pelleretur, quaesisse ab eo dicitur, quare id faceret, aut quid Aristides commisisset, cur tanta poena dignus duceretur. Cui ille respondit se ignorare Aristiden, sed sibi non placere, quod tam cupide elaborasset, ut praeter[6] ceteros Justus appellaretur. Hic decem annorum legitimam poenam non pertulit. Nam postquam Xerxes in Graeciam descendit, sexto fere anno, quam erat expulsus[7], populi scito in patriam restitutus est.

[1] „und so kam es daß". [2] Gr. § 183, 3. [3] „jene bekannte", Gr. § 266 u. § 386. [4] vom Marktplatze, wo in einer Volksversammlung die Abstimmung Statt fand. [5] Gr. § 377, 1. [6] Gr. § 181, 3. [7] Über das ausgelassene post Gr. § 163 A. 1, über das Plusquamperf. Gr. § 346 A.

2. Interfuit autem pugnae navali apud Salamina, quae facta est prius, quam poena liberaretur.

Idem[1] praetor fuit Atheniensium apud Plataeas in proelio, quo barbarorum exercitus fusus Mardoniusque interfectus est. Neque aliud est ullum hujus in re militari illustre factum quam hujus imperii memoria, justitiae vero et aequitatis et innocentiae multa, inprimis quod[2] ejus aequitate factum est, cum in communi classe esset Graeciae simul cum Pausania, quo duce[3] Mardonius erat fugatus, ut[4] summa imperii maritimi ab Lacedaemoniis transferretur ad Athenienses. Namque ante id tempus et mari et terra duces erant Lacedaemonii. Tum autem et intemperantia Pausaniae et justitia factum est Aristidis, ut omnes fere civitates Graeciae ad Atheniensium societatem se applicarent et adversus barbaros hos[5] duces deligerent sibi.

[1] Gr. § 268. [2] „daß", Gr. § 342, 1. [3] Gr. § 373. [4] abhängig von factum est. [5] näml. Athenienses.

3. Quos quo facilius repellerent, si forte[1] bellum renovare conarentur, ad[2] classes aedificandas exercitusque comparandos quantum pecuniae quaeque civitas daret, Aristides delectus est, qui constitueret, ejusque arbitrio quadringena et sexagena talenta quotannis Delum sunt collata. Id[3] enim commune aerarium esse voluerunt. Quae omnis pecunia postero tempore Athenas translata est. Hic qua fuerit abstinentia, nullum est certius indicium quam quod, cum[4] tantis rebus praefuisset, in tanta paupertate decessit, ut, qui[5] efferretur, vix relinqueret. Quo factum est, ut filiae ejus publice alerentur et de communi aerario dotibus datis collocarentur. Decessit autem fere post annum quartum[6], quam Themistocles Athenis erat expulsus.

[1] Gr. § 143, 3. [2] Construire: Aristides delectus est, qui (= ut, Gr. § 359) constitueret, quantum pecuniae quaeque civitas daret ad classes aedificandas exercitusque comparandos. [3] Das Neutrum, obwohl Delus gemeint ist, nach Gr. § 152. [4] concessiv. [5] Adverb, „wie", „wovon". [6] Gr. § 163.

IV. Thrasybulus.

1. Thrasybulus, Lyci filius, Atheniensis. Neminem huic praefero fide, constantia, magnitudine animi, in patriam amore. Nam huic contigit, ut patriam a XXX oppressam

tyrannis e servitute in libertatem vindicaret[1]. Nam cum XXX tyranni, praepositi a Lacedaemoniis[2], servitute oppressas tenerent[3] Athenas, plurimos cives, quibus in bello pepercerat fortuna, partim patria expulissent, partim interfecissent, plurimorum bona publicata inter se divisissent, non solum princeps, sed etiam solus initio bellum his indixit. Hic enim cum Phylen confugisset, quod[4] est castellum in Attica munitissimum, non plus[5] habuit secum XXX de suis. Hoc initium fuit salutis Atheniensium, hoc robur libertatis clarissimae civitatis. Neque vero hic non[6] contemptus est primo a tyrannis atque ejus solitudo. Quae quidem res et illis contemnentibus perniciei et huic despecto saluti fuit. Haec enim illos segnes ad persequendum, hos autem tempore ad comparandum dato fecit robustiores. Quo magis illud omnium in animis esse debet, nihil in bello oportere contemni, neque sine caussa dici matrem timidi flere non solere. Neque tamen pro[7] opinione Thrasybuli auctae sunt opes. Nam jam tum illis temporibus fortius boni pro libertate loquebantur quam pugnabant.

[1] Gr. § 190. [2] im J. 404 v. Chr. [3] Gr. § 291 A. 2. [4] Gr. § 353 A. 1, a. [5] Über das ausgelassene quam Gr. § 249. [6] Gr. § 363, 6. [7] Gr. § 227, 5, dagegen nachher (pro libertate) Gr. § 227, 2.

2. Tum in Piraeeum transiit Munychiamque munivit. Hanc tyranni oppugnare sunt adorti ab eaque turpiter repulsi protinus in urbem armis impedimentisque amissis refugerunt. Usus est Thrasybulus non minus prudentia quam fortitudine. Nam cedentes violari vetuit: cives enim civibus parcere aequum censebat. Neque quisquam est vulneratus, nisi qui prior impugnare voluit. Neminem jacentem veste spoliavit, nil attigit nisi arma, quorum indigebat, quaeque ad victum pertinebant. In secundo proelio cecidit Critias, dux tyrannorum, cum adversus Thrasybulum fortissime pugnaret. Hoc dejecto Pausanias venit Atheniensibus auxilio, rex Lacedaemoniorum. Is inter Thrasybulum et eos, qui urbem tenebant, fecit pacem his conditionibus: ne qui praeter XXX tyrannos afficerentur exsilio, neve bona publicarentur; reipublicae procuratio populo redderetur[1]. Praeclarum est hoc quoque Thrasybuli,

[1] hängt nicht mehr von ne, sondern von dem zu ergänzenden ut ab, Gr. § 396.

quod reconciliata pace, cum plurimum in civitate posset, legem tulit: ne quis ante actarum rerum accusaretur neve multaretur; eamque illi oblivionis appellarunt.

3. Neque vero hanc tantum ferendam curavit[1], sed etiam, ut valeret, effecit. Nam cum quidam ex iis, qui simul cum eo in exsilio fuerant, caedem facere eorum vellent, cum quibus in gratiam reditum erat publice, prohibuit et id, quod pollicitus erat, praestitit. Huic pro tantis meritis honoris corona a populo data est, facta duabus virgulis oleaginis: quam quod amor civium dederat, non vis expresserat, nullam habuit invidiam magnaque fuit gloria. Bene ergo Pittacus ille, qui in septem sapientium numero est habitus, cum Mytilenaei ei multa milia jugerum agri muneri darent: Nolite, oro vos, inquit, id mihi dare, quod multi invideant[2], plures etiam concupiscant. Quare ex istis nolo amplius quam centum jugera, quae et meam animi aequitatem et vestram voluntatem indicent. Nam parva munera diutina, locupletia non propria esse consuerunt. Illa igitur corona contentus Thrasybulus neque amplius requisivit neque quemquam[3] honore se antecessisse existimavit. Hic sequenti tempore cum praetor classem ad Ciliciam appulisset neque satis diligenter in castris ejus agerentur vigiliae, ab hostibus ex oppido noctu eruptione facta in tabernaculo interfectus est.

[1] Gr. § 377, 2. [2] Warum Conjunctiv? Gr. § 360. [3] Subjects-accusativ.

V. Agesilaus.

1. Agesilaus Lacedaemonius cum[1] a ceteris scriptoribus tum eximie a Xenophonte Socratico collaudatus est: eo enim usus est[2] familiarissime. Hic simulatque[3] imperii[4] potitus est[5], persuasit Lacedaemoniis, ut exercitus emitterent in Asiam bellumque regi facerent, docens satius[6] esse in Asia quam in Europa dimicari. Namque fama exierat Artaxerxen comparare classes pedestresque exercitus, quos in Graeciam mitteret. Data potestate tanta celeritate usus est, ut prius

[1] Gr. § 142, 1 A. 4. [2] Gr. § 221 A. 2. [3] Dürfte hier auch simulac stehen? Gr. § 142, 1 A. 1. [4] Gr. § 221 A. 1. [5] im J. 396 v. Chr. [6] Gr. § 66, 3.

in Asiam cum copiis perveniret, quam regii satrapae eum scirent profectum. Quo factum est, ut omnes imparatos imprudentesque offenderet. Id[7] ut cognovit Tissaphernes, qui summum imperium tum inter praefectos habebat regios, inducias a Lacone petivit, simulans se dare operam, ut Lacedaemoniis cum rege conveniret[8], re autem vera ad copias comparandas, easque impetravit trimestres. Juravit autem uterque se sine dolo inducias conservaturum. In qua pactione summa fide mansit Agesilaus: contra ea Tissaphernes nihil aliud quam[9] bellum comparavit. Id etsi sentiebat Laco, tamen jusjurandum servabat multumque in eo[10] se consequi dicebat, quod Tissaphernes perjurio suo et homines a se abalienaret et deos sibi iratos redderet; se autem conservata religione confirmare exercitum, cum animadverteret deum numen facere[11] secum, hominesque sibi conciliare amiciores, quod iis studere consuessent, quos conservare fidem viderent.

[7] bezieht sich auf Agesilaus Ankunft in Asien. [8] Gr. § 190. [9] Gr. § 334, 4 A. 1 u. 395, 2, c. [10] näml. in servando jurejurando. [11] Gr. § 229 a. E.

2. Postquam induciarum praeteriit dies[1], barbarus non dubitans, quin, quod ipsius erant plurima domicilia in Caria et ea regio his temporibus multo putabatur locupletissima, eo potissimum hostes impetum facturi essent, omnes suas copias eo contraxerat. At Agesilaus in Phrygiam se convertit eamque prius depopulatus est, quam Tissaphernes usquam[2] se moveret. Magna praeda militibus locupletatis Ephesum hiematum[3] exercitum reduxit atque ibi officinis armorum institutis magna industria bellum apparavit. Et quo studiosius armarentur insigniusque ornarentur, praemia proposuit, quibus donarentur, quorum egregia in ea re fuisset industria. Fecit idem in exercitationum generibus, ut, qui ceteris praestitissent[4], eos magnis afficeret muneribus. His igitur rebus effecit, ut et ornatissimum et exercitatissimum haberet exercitum. Huic cum tempus esset visum copias extrahere ex hibernaculis, vidit, si, quo esset iter facturus, palam pronuntiasset, hostes non credituros aliasque regiones

[1] „der Termin", „die Frist", Gr. § 46. [2] Gr. § 138, 1, b. [3] Supin. [4] Gr. § 187 A. 3 u. 190.

praesidiis occupaturos neque dubitaturos, quin aliud esset facturus, ac[5] pronuntiasset. Itaque cum ille Sardes iturum se dixisset, Tissaphernes eandem Cariam defendendam putavit. In quo cum eum opinio fefellisset victumque se vidisset consilio, sero[6] suis praesidio profectus est. Nam cum illo venisset, jam Agesilaus magna erat praeda potitus. Laco autem, cum videret hostes equitatu superare, numquam in campo sui fecit potestatem et[7] iis locis manum conseruit, quibus plus pedestres copiae valerent. Pepulit ergo, quotiescumque congressus est, multo majores adversariorum copias et sic in Asia versatus est, ut omnium opinione victor duceretur.

[5] Gr. § 351. [6] Gr. § 132 A. 1. [7] „sondern", Gr. § 363, 1 A. b.

3. Hic cum jam animo meditaretur proficisci in Persas[1] et ipsum[2] regem adoriri, nuntius ei domo venit ephororum missu[3], bellum Athenienses et Boeotos indixisse Lacedaemoniis; quare venire ne dubitaret. In hoc[4] non minus ejus pietas suspicienda est quam virtus bellica: qui cum victori praeesset exercitui maximamque haberet fiduciam regni Persarum potiundi[5], tanta modestia dicto audiens[6] fuit jussis absentium magistratuum, ut si privatus esset Spartae. Cujus exemplum utinam imperatores nostri sequi voluissent[7]! Agesilaus opulentissimo regno praeposuit bonam existimationem multoque gloriosius duxit, si institutis patriae paruisset, quam si bello superasset Asiam. Hac igitur mente Hellespontum copias trajecit tantaque usus est celeritate, ut, quod iter Xerxes anno vertente confecerat, hic transiret XXX diebus. Cum jam haud ita[8] longe abesset a Peloponneso, obsistere ei conati sunt Athenienses et Boeotii ceterique eorum socii apud Coroneam; quos omnes gravi proelio vicit. Hujus victoriae vel maxima fuit laus, quod, cum plerique ex fuga se in templum Minervae conjecissent quaerereturque ab eo, quid his vellet fieri[9], etsi aliquot vulnera acceperat eo proelio et iratus videbatur omnibus, qui adversus eum arma tulerant, tamen antetulit irae religionem et eos vetuit violari. Neque

[1] Gr. § 158. [2] Was bildet hiezu den Gegensatz? [3] Gr. § 48 a. E. u. 208a A. 2. [4] „hiebei", „bei dieser Gelegenheit". [5] Gr. § 239 A. [6] Gr. § 185 a, 1 A. 1. [7] Gr. § 305. [8] Gr. § 277 A. 4. [9] Gr. § 185 a, 1 A. 2.

vero hoc solum in Graecia fecit, ut templa deorum sancta haberet, sed etiam apud barbaros summa religione omnia simulacra arasque conservavit.

4. Interim accidit illa calamitas apud Leuctra[1] Lacedaemoniis. Quo, cum[2] a plerisque ad exeundum premeretur, ut si de exitu divinaret, exire noluit. Idem, cum Epaminondas Spartam oppugnaret essetque sine muris oppidum, talem se imperatorem praebuit, ut eo tempore omnibus appareret, nisi ille fuisset, Spartam futuram non fuisse[3]. In quo quidem discrimine celeritas ejus[4] consilii saluti fuit universis. Nam cum quidam adolescentuli, hostium adventu perterriti, ad Thebanos transfugere vellent et locum extra urbem editum cepissent, Agesilaus, qui perniciosissimum fore videret[5], si animadversum esset quemquam ad hostes transfugere conari, cum suis eo venit atque, ut si bono animo fecissent, laudavit consilium eorum, quod eum locum occupassent, et se quoque id fieri debere animadvertisse[6]. Sic adolescentes simulata laudatione recuperavit et adjunctis de suis comitibus locum tutum reliquit. Namque illi aucti numero eorum, qui expertes erant consilii, commovere se non sunt ausi eoque libentius, quod latere arbitrabantur, quae cogitaverant.

[1] im J. 371 v. Chr. [2] concessiv. [3] Gr. § 338 A. 4. [4] hängt von consilii ab und bezieht sich auf Agesilaus. [5] Warum Conjunctiv? Gr. § 361. [6] abhängig von dem aus laudavit zu ergänzenden dixit, Gr. § 323.

5. Sine dubio post Leuctricam pugnam Lacedaemonii se nunquam refecerunt neque pristinum imperium recuperarunt, cum interim numquam Agesilaus destitit, quibuscumque rebus posset[1], patriam juvare. Nam cum praecipue Lacedaemonii indigerent pecunia, ille omnibus, qui a rege defecerant[2], praesidio fuit; a quibus magna donatus pecunia patriam sublevavit. Atque in hoc illud inprimis fuit admirabile, cum maxima munera ei ab regibus ac dynastis civitatibusque conferrentur[3], quod nihil unquam domum suam contulit, nihil de victu, nihil de vestitu Laconum mutavit. Domum ejus qui intrarat, nullum signum libidinis, nullum luxuriae videre

[1] conjunctivus iterativus, Gr. § 327, 3. [2] Gr. § 167 A. 1. [3] cum—conferrentur ist Nebensatz zu contulit.

poterat, contra ea plurima patientiae atque abstinentiae: sic enim erat instructa, ut in nulla re differret cujusvis[1] inopis atque privati.

[1] abhängig von dem Subject domus, welches aus dem Vorangehenden ergänzt wird.

6. Atque hic tantus[1] vir, ut[2] naturam fautricem habuit in tribuendis animi virtutibus, sic maleficam nactus est in corpore fingendo. Nam et statura fuit humili et corpore exiguo et claudus altero pede. Quae res etiam nonnullam afferebat deformitatem, atque ignoti, faciem ejus cum intuerentur, contemnebant; qui autem virtutes noverant, non poterant admirari satis. Quod[3] ei usu venit, cum annorum[4] LXXX subsidio Tacho in Aegyptum iisset et in acta accubuisset sine ullo tecto stratumque haberet tale, ut terra tecta esset stramentis neque huc amplius quam pellis esset injecta[5], eodemque comites omnes accubuissent[6], vestitu humili atque obsoleto, ut eorum ornatus non modo in his regem neminem[7] significaret, sed homines non beatissimos[8]) suspicionem praeberet. Hujus de adventu fama cum ad regios esset perlata, celeriter munera eo cujusque generis sunt allata. His quaerentibus Agesilaum vix fides facta est unum esse ex his, qui tum accubabant. Qui cum regis verbis[9], quae attulerant, dedissent, ille praeter vitulinam[10] et ejusmodi genera obsonii, quae praesens tempus desiderabat, nihil accepit; unguenta, coronas secundamque mensam servis dispertiit, cetera referri jussit. Quo facto[11] eum barbari magis etiam contempserunt, quod eum ignorantia bonarum rerum illa potissimum sumpsisse arbitrabantur. Hic cum ex Aegypto reverteretur, donatus a rege Nectanabide ducentis viginti talentis, quae ille muneri populo suo daret[12], venissetque in portum, qui Menelai[13] vocatur, jacens inter Cyrenas et

[1] „dieser große Mann", Gr. § 265 A. 3. [2] ut—ita, auch: „zwar — aber", Gr. § 350, 1 A. 1. [3] näml. die Verachtung von Seite Derer, die ihn nicht kannten. [4] 80 J. alt, in einem Alter von 80 J., Gr. § 196. [5] Gr. § 151 A. 6. [6] von accubo oder von accumbo? [7] Warum nicht nullum? Gr. § 272 A. 2. [8] esse ist ausgelassen. [9] Gr. § 217 A. 1. [10] Gr. § 395, 1, a. [11] Gr. § 362 [12] Warum Conjunctiv? Gr. § 359 [13]) Hiezu ist portus zu ergänzen.

Aegyptum, morbo implicitus[14] decessit. Ibi eum amici, quo Spartam facilius perferre possent, quod mel non[15] habebant, cera circumfuderunt atque ita domum rettulerunt.

[14]) Ist morbo Dativ oder Ablativ? Gr. § 213 A. 2. [15] „keinen Honig", Gr. § 277 A. 2.

VI. Epaminondas.

1. Epaminondas Thebanus pauper jam a majoribus est relictus, eruditus autem sic ut nemo Thebanus magis. Nam et citharizare et cantare ad chordarum sonum doctus est a Dionysio, qui non minore fuit in musicis gloria quam Damon aut Lamprus, quorum pervulgata sunt nomina; cantare tibiis[1] ab Olympiodoro, saltare a Calliphrone. At philosophiae praeceptorem habuit Lysim Tarentinum, Pythagoreum; cui quidem sic fuit deditus, ut adolescens tristem ac severum senem omnibus aequalibus suis in familiaritate anteponeret, neque prius eum a se dimisit, quam[2] in doctrinis tanto[3] antecessit condiscipulos, ut facile intelligi posset pari modo superaturum[4] omnes in ceteris artibus. Postquam ephebus est factus et palaestrae dare operam coepit, non tam[5] magnitudini virium servivit quam velocitati. Illam enim ad athletarum usum, hanc ad belli existimabat utilitatem pertinere. Itaque exercebatur plurimum currendo et luctando ad eum finem, quoad stans complecti posset atque contendere. In armis vero plurimum studii consumebat.

[1] Gr. § 213 A. 2. [2] Gr. § 347. [3] Gr. § 216. [4] Der Subjects-accusativ eum wird ergänzt. [5] Gr. § 351.

2. Ad hanc corporis firmitatem plura etiam animi bona accesserant. Erat enim modestus, prudens, gravis, temporibus sapienter utens; peritus belli, fortis manu, animo maximo; adeo veritatis diligens, ut ne joco quidem mentiretur. Idem[1] continens, clemens patiensque admirandum in[2] modum, non solum populi, sed etiam amicorum ferens injurias; inprimis commissa celans; studiosus audiendi: ex hoc enim facillime disci arbitrabatur. Itaque cum[3] in circulum venis-

[1] „zugleich", „zugleich aber", Gr. § 268. [2] Gr. § 230, a, 5. [3] „wenn", „so oft"; wie könnte es statt venisset heißen? Gr. § 346.

set, in quo aut de republica disputaretur[4] aut de philosophia sermo haberetur, numquam inde prius discessit, quam ad finem sermo esset adductus. Paupertatem adeo facile perpessus est, ut de republica nihil praeter gloriam caperet, amicorum in se tuendo careret facultatibus; idem ad alios sublevandos saepe sic usus est[5], ut judicari possit omnia ei cum amicis fuisse communia. Nam cum aut civium suorum aliquis ab hostibus esset captus aut virgo amici esset nubilis, quae propter paupertatem collocari non posset[4], amicorum consilium habebat[6] et, quantum quisque[7] daret, pro[8] facultatibus imperabat[6]. Eamque summam cum fecerat, priusquam acciperet pecuniam, adducebat eum, qui quaerebat, ad eos, qui conferebant, eique ut ipsi numerarent, faciebat[9], ut ille, ad quem ea res perveniebat, sciret, quantum cuique deberet.

[4] Über den Conjunctiv Gr. § 360, a. [5] näml. facultatibus amicorum. [6] Warum Imperfect? [7] Über die Stellung in den Relativsatz Gr. § 273 A. 1. [8] Gr. § 227, 5. [9] Construire: faciebat, ut ipsi (Nom.) ei (Dat.) numerarent.

3. Tentata autem ejus est abstinentia a Diomedonte Cyziceno. Namque is rogatu[1] Artaxerxis regis Epaminondam pecunia corrumpendum[2] susceperat. Hic magno cum pondere auri Thebas venit et Micythum adolescentulum quinque talentis ad suam perduxit voluntatem, quem tum Epaminondas plurimum diligebat. Micythus Epaminondam convenit[3] et caussam adventus Diomedontis ostendit. At ille Diomedonti coram[4]: Nihil[5], inquit, opus pecunia est. Nam si rex ea vult, quae Thebanis sunt utilia, gratis facere sum paratus; sin autem[6] contraria, non habet auri atque argenti satis. Namque orbis terrarum divitias accipere nolo pro[7] patriae caritate. Tu quod me incognitum tentasti tuique similem existimasti, non miror tibique ignosco; sed egredere propere, ne alios corrumpas, cum me non potueris. Et tu, Micythe, argentum huic redde, aut, nisi id confestim facis, ego te tradam magistratui. Hunc Diomedon cum rogaret, ut tuto exire suaque, quae attulerat[8], liceret efferre: Istud quidem,

[1] Gr. § 48 u. 208a A. 2. [2] Gr. § 377, 2. [3] Gr. § 169, 2. [4] Adverb, „persönlich.“ [5] Adverb, Gr. § 277 A. 1. [6] Gr. § 338, 1 *). [7] „für“, „wenn ich dafür hingeben soll.“ [8] Der Relativsatz enthält eine Bemerkung des Nepos, daher Indicativ, Gr. § 324 A. 4.

inquit, faciam, neque tua caussa, sed mea, ne, si tibi sit pecunia adempta, aliquis dicat id ad me ereptum[9] pervenisse, quod delatum[10] accipere noluissem. A quo cum quaesisset, quo se deduci vellet, et ille Athenas dixisset, praesidium dedit, ut tuto perveniret[11]. Neque vero id satis habuit, sed etiam, ut inviolatus navem conscenderet, per Chabriam Atheniensem effecit.

[9] „durch Raub", „als Raub". [10] „als Geschenk". [11] ergänze eo.

4. Fuit etiam disertus, ut nemo ei Thebanus par esset eloquentia, neque minus concinnus in brevitate respondendi quam in perpetua oratione ornatus. Habuit obtrectatorem[1] Menecliden quendam, indidem[2] Thebis, et adversarium in administranda republica, satis exercitatum in dicendo, ut[3] Thebanum scilicet: namque illi genti[4] plus inest virium quam ingenii. Is, quod in re militari florere Epaminondam videbat, hortari solebat Thebanos, ut pacem bello anteferrent, ne illius imperatoris[5] opera desideraretur. Huic ille: Fallis, inquit, verbo cives tuos, quod[6] hos a bello revocas: otii enim nomine servitutem concilias. Nam paritur pax bello. Itaque, qui ea diutina volunt frui, bello exercitati esse debent. Quare si principes Graeciae vultis esse, castris est vobis utendum, non palaestra.

[1] ist Prädicat. [2] „ebenfalls aus". [3] „für einen Thebaner", Gr. § 350, 1 A. 1. [4] Wie wird inesse gewöhnlicher construirt? [5] „als Feldherrn". [6] „dadurch daß", „indem".

5. Fuisse patientem suorumque injurias ferentem civium, quod se patriae irasci nefas esse duceret[1], haec sunt testimonia. Cum eum propter invidiam cives sui praeficere exercitui noluissent duxque esset delectus belli imperitus, cujus errore eo esset[2] deducta illa multitudo militum, ut omnes de salute pertimescerent, quod locorum angustiis clausi ab hostibus obsidebantur, desiderari coepta est[3] Epaminondae diligentia. Erat enim ibi privatus numero militis. A quo cum peterent opem, nullam adhibuit memoriam contumeliae et exercitum obsidione liberatum domum reduxit incolumem. Nec vero hoc[4] semel fecit, sed saepius. Maxime autem fuit[5]

[1] Warum Conjunctiv? Gr. § 341 A. 1. [2] Warum Conjunctiv? Gr. § 360. [3] Gr. § 286 A. 2. [4] i. e. ferre injurias civium. [5] Subject dazu ist ferre injurias.

illustre, cum Peloponnesum exercitum duxisset adversus Lacedaemonios haberetque collegas duos, quorum alter erat Pelopidas, vir fortis ac strenuus. Hi cum criminibus adversariorum omnes in invidiam venissent ob eamque rem imperium his esset abrogatum atque in eorum locum alii praetores successissent, Epaminondas populi scito non paruit, idemque ut facerent, persuasit collegis et bellum, quod susceperat, gessit. Namque animadvertebat, nisi id fecisset, totum exercitum propter praetorum imprudentiam inscitiamque belli periturum. Lex erat Thebis, quae morte multabat, si quis imperium diutius retinuisset, quam lege praefinitum esset. Hanc Epaminondas cum reipublicae conservandae caussa latam videret, ad perniciem civitatis conferre noluit et quattuor mensibus[6] diutius, quam populus jusserat, gessit imperium.

[6] Abl. des Unterschiedes, Gr. § 216.

6. Postquam domum reditum est, collegae ejus hoc crimine[1] accusabantur. Quibus ille permisit, ut omnem caussam in se transferrent suaque opera[2] factum contenderent, ut legi non obedirent. Qua defensione illis periculo liberatis nemo Epaminondam responsurum putabat, quod, quid diceret, non haberet[3]. At ille in judicium venit, nihil eorum negavit, quae adversarii crimini dabant, omniaque, quae collegae dixerant, confessus est neque recusavit, quominus[4] legis poenam subiret, sed unum ab his[5] petivit, ut in periculo suo scriberent: Epaminondas a Thebanis morte multatus est, quod eos coëgit apud Leuctra superare Lacedaemonios, quos ante se[6] imperatorem nemo Boeotorum ausus est aspicere in acie, quodque uno proelio non solum Thebas ab interitu retraxit, sed etiam universam Graeciam in libertatem vindicavit eoque res utrorumque perduxit, ut Thebani Spartam oppugnarent, Lacedaemonii[7] satis haberent, si salvi esse possent, neque prius bellare destitit, quam Messene restituta urbem eorum obsidione clausit. Haec cum dixisset, risus omnium cum hilaritate[8] coortus est, neque quisquam judex

[1] s. II. 7. 4. [2] Gr. § 213 A. 1. [3] Gr. § 360, 3 A. 1 a. E. [4] Gr. § 333. [5] näml. den Richtern, was aus dem vorangehenden judicium entnommen wird. [6] Gr. § 262 A. 1. [7] „die L. aber", Gr. § 365, 7. [8] cum hilaritate gehört zu risus, Gr. § 232, 2.

ausus est de eo ferre suffragium. Sic a judicio capitis maxima discessit gloria.

7. Hic extremo tempore imperator apud Mantineam cum acie instructa audacius instaret hostibus, Lacedaemonii, quod in unius pernicie ejus[1] patriae sitam putabant salutem, universi in unum impetum fecerunt neque prius abscesserunt, quam multis occisis fortissime ipsum Epaminondam pugnantem sparo eminus percussum concidere viderunt. Hujus casu aliquantum retardati sunt Boeotii, neque tamen prius pugna excesserunt, quam repugnantes profligarunt. At Epaminondas cum animadverteret mortiferum se vulnus accepisse simulque, si ferrum, quod ex hastili in corpore remanserat, extraxisset, animam statim emissurum, usque eo[2] retinuit, quoad renuntiatum est vicisse Boeotios. Id postquam audivit: Satis, inquit, vixi: invictus enim morior. Tum ferro extracto confestim exanimatus est.

[1] unius ejus gehören zusammen; patriae hängt von salutem ab.
[2] Gr. § 313 A. 2.

8. Hic uxorem numquam duxit. In quo[1] cum reprehenderetur, quod liberos non relinqueret, a Pelopida, qui filium habebat infamem, maleque eum in eo patriae consulere diceret[2]: Vide, inquit, ne[3] tu pejus consulas, qui talem ex[4] te natum relicturus sis[5]. Neque vero stirps potest mihi deesse. Namque ex me natam relinquo pugnam Leuctricam, quae non modo mihi superstes, sed etiam immortalis sit[6] necesse est. Quo tempore duce Pelopida exsules Thebas occuparunt et praesidium Lacedaemoniorum ex arce expulerunt, Epaminondas, quamdiu facta est caedes civium, domo[7] se tenuit, quod neque malos defendere volebat neque impugnare, ne manus suorum[8] sanguine cruentaret. Namque omnem civilem victoriam funestam putabat. Idem, postquam apud Cadmeam cum Lacedaemoniis pugna coepit, in primis stetit. Hujus de virtutibus vitaque satis erit dictum, si hoc unum adjunxero, quod nemo it infitias, Thebas et ante Epaminondam natum et post ejusdem interitum perpetuo alieno paruisse

[1] „in diesem Punkte", Gr. § 230, b, 3. [2] Subject davon ist Pelopidas. [3] Gr. § 329 A. 2. [4] Gr. § 208 A. 2. [5] Warum Conjunctiv? Gr. § 361. [6] Gr. § 335 A. [7] Gr. § 213 A. 2. [8] „seiner Mitbürger".

imperio; contra ea, quamdiu ille praefuerit reipublicae, caput fuisse totius Graeciae. Ex quo intelligi potest unum hominem pluris[9] quam civitatem fuisse.

[9] Gr. § 204.

VII. Timoleon.

1. Timoleon Corinthius sine dubio[1] magnus omnium judicio vir exstitit. Namque huic uni contigit, quod nescio an[2] nulli, ut et patriam, in qua erat natus, oppressam a tyranno liberaret et a Syracusis, quibus auxilio erat missus, jam inveteratam servitutem depelleret totamque Siciliam multos annos bello vexatam a barbarisque[3] oppressam suo adventu in pristinum restitueret. Sed in his rebus non simplici[4] fortuna conflictatus est et, id quod[5] difficilius putatur, multo sapientius tulit secundam quam adversam fortunam. Nam cum frater ejus Timophanes, dux a Corinthiis delectus, tyrannidem per milites mercenarios occupasset particepsque regni posset[6] esse, tantum afuit[7] a societate sceleris, ut anteferret civium suorum libertatem fratris saluti et parere legibus quam imperare patriae satius duceret. Hac mente fratrem tyrannum interficiundum[8] curavit. Ipse non modo manus non attulit, sed ne aspicere quidem fraternum sanguinem voluit. Nam dum[9] res conficeretur, procul in praesidio fuit, ne quis satelles posset succurrere. Hoc praeclarissimum ejus factum non pari modo probatum est ab omnibus. Nonnulli enim laesam ab eo pietatem putabant et invidia laudem virtutis obterebant. Mater vero post id factum neque domum ad se filium admisit neque aspexit, quin[10] eum fratricidam impiumque detestans compellaret. Quibus rebus ille adeo est commotus, ut nonnumquam vitae finem facere vellet atque ex ingratorum hominum conspectu morte decedere.

[1] sine dubio gehört zu magnus, „unzweifelhaft groß". [2] Gr. § 283 A. 1. [3] barbaris = Carthaginiensibus. [4] non simplici = satis varia, Litotes (wenn man weniger sagt als man denkt). [5] Gr. § 353. [6] näml. Timoleon. [7] Ist hier afuit persönlich oder unpersönlich? Gr. § 334 A. 2. [8] Gr. § 377, 2. [9] „bis", Gr. § 349. [10] Gr. § 337, 1.

2. Interim Dione Syracusis interfecto Dionysius rursus

Syracusarum[1] potitus est. Cujus adversarii opem a Corinthiis petierunt ducemque, quo[2] in bello uterentur, postularunt. Huc Timoleon missus incredibili felicitate Dionysium tota Sicilia depulit. Cum interficere posset, noluit, tutoque ut Corinthum perveniret, effecit, quod utrorumque[3] Dionysiorum opibus Corinthii saepe adjuti fuerant, cujus benignitatis memoriam volebat exstare, eamque praeclaram victoriam ducebat[4], in qua plus esset clementiae quam crudelitatis, postremo ut non solum auribus acciperetur, sed etiam oculis cerneretur, quem et ex quanto regno ad quam[5] fortunam detulisset. Post Dionysii decessum[6] cum Hiceta bellavit, qui adversatus erat Dionysio; quem non odio tyrannidis dissensisse[7], sed cupiditate[8] indicio fuit, quod ipse expulso Dionysio imperium dimittere noluit. Hoc superato Timoleon maximas copias Carthaginiensium apud Crinissum flumen fugavit ac satis habere coëgit, si liceret Africam obtinere, qui jam complures annos possessionem Siciliae tenebant. Cepit etiam Mamercum, Italicum ducem, hominem bellicosum et potentem, qui tyrannos adjutum[9] in Siciliam venerat.

[1] Gr. § 221 A. 1. [2] = ut eo, Gr. § 359. [3] So findet sich der Plural selten, Gr. § 197 A. 3*). [4] hängt noch von quod ab. [5] Gr. § 279 A. 1. [6] näml. von Syracus. [7] näml. a Dionysio. [8] Auch dazu gehört tyrannidis. [9] Supin.

3. Quibus rebus confectis cum propter diuturnitatem belli non solum agros, sed etiam urbes desertas videret, conquisivit, quos potuit, primum Siculos; dein Corintho arcessivit colonos, quod ab his[1] initio Syracusae erant conditae. Civibus veteribus sua[2] restituit, novis bello vacuefactas possessiones divisit; urbium moenia disjecta fanaque deserta refecit; civitatibus leges libertatemque reddidit; ex[3] maximo bello tantum otium toti insulae conciliavit, ut hic conditor urbium earum, non illi, qui initio deduxerant, videretur. Arcem Syracusis, quam munierat Dionysius[4] ad urbem obsidendam, a fundamentis disjecit; cetera tyrannidis propugnacula demolitus est deditque operam, ut quam minime multa vestigia servitutis manerent. Cum tantis esset opibus[5], ut

[1] näml. Corinthiis, was aus Corinthus zu nehmen ist. [2] „das Ihrige", „ihr Eigenthum", Gr. § 264. [3] „nach", Gr. § 226, 2. [4] major. [5] Abl. der Eigenschaft.

etiam invitis imperare posset, tantum autem amorem haberet[6] omnium Siculorum, ut nullo[7] recusante regnum obtinere posset, maluit se diligi quam metui. Itaque, cum primum potuit, imperium deposuit ac privatus Syracusis, quod reliquum vitae[8] fuit, vixit. Neque vero id imperite fecit. Nam quod ceteri reges[9] imperio potuerunt, hic benevolentia tenuit. Nullus honos huic defuit, neque postea res ulla[10] Syracusis gesta est publice, de qua prius sit decretum quam Timoleontis sententia cognita[11]. Nullius umquam consilium non modo[12] antelatum, sed ne comparatum quidem est. Neque id magis[13] benevolentia[14] factum est quam prudentia.

[6] hängt von cum ab. [7] Gr. § 371. [8] hängt von quod ab. [9] „als Könige". [10] Gr. § 363, 3. [11] absolut. Abl. [12] non modo, „ich will nicht sagen". [13] Gr. § 351 A. 1. [14] in der er bei Anderen stand.

4. Hic cum aetate jam provectus esset, sine ullo morbo lumina oculorum amisit. Quam calamitatem ita moderate tulit, ut neque eum querentem quisquam audiret, neque eo minus privatis publicisque rebus interesset[1]. Veniebat autem in theatrum[2], cum ibi concilium populi haberetur[3], propter valetudinem vectus jumentis junctis, atque ita de[4] vehiculo, quae videbantur, dicebat. Neque hoc illi quisquam tribuebat superbiae[5]. Nihil enim umquam neque insolens neque gloriosum ex ore ejus exiit. Qui quidem cum suas laudes audiret praedicari, numquam aliud dixit quam se in ea re maxime diis agere gratias atque habere, quod, cum Siciliam recreare constituissent, tum se potissimum ducem esse voluissent. Nihil enim rerum humanarum sine deorum numine geri putabat. Itaque suae domi sacellum Automatiae constituerat idque sanctissime colebat.

[1] näml. Timoleon. [2] Die Volksversammlung wurde bei den Griechen häufig im Theater gehalten. [3] Iterativ, Gr. § 327, 3 u. § 345. [4] „von — herab". [5] Gr. § 192, 3.

5. Ad hanc hominis excellentem bonitatem mirabiles accesserant casus. Nam proelia maxima natali suo die fecit omnia: quo factum est, ut ejus diem natalem festum haberet universa Sicilia. Huic quidam Laphystius, homo petulans et ingratus, vadimonium cum vellet imponere, quod cum illo se

lege agere diceret[1], et complures concurrissent, qui procacitatem hominis manibus coërcere conarentur[2], Timoleon oravit omnes, ne id facerent. Namque id ut Laphystio et cuivis liceret, se maximos labores summaque adisse pericula. Hanc enim speciem libertatis esse, si omnibus, quod quisque vellet, legibus experiri liceret. Idem, cum quidam Laphystii similis, nomine Demaenetus, in contione populi de rebus gestis ejus[3] detrahere[4] coepisset ac nonnulla inveheretur in Timoleonta, dixit nunc demum[5] se voti esse damnatum: namque hoc a diis immortalibus semper precatum, ut talem libertatem restitueret Syracusanis, in qua cuivis liceret, de quo vellet, impune dicere.

Hic cum diem supremum obisset, publice a Syracusanis in gymnasio, quod Timoleonteum appellatur, tota celebrante Sicilia sepultus est.

[1] Gr. § 341 A. 1. [2] Gr. § 360. [3] Man sagt res meae gestae und res a me gestae. [4] Gr. § 187. [5] Gr. § 390 A.

VIII. Datames.

1. Datames, patre Camisare, natione[1] Care, matre Scythissa natus, primum[2] in militum numero fuit apud Artaxerxen eorum, qui regiam tuebantur. Pater ejus Camisares, quod et manu fortis et bello strenuus et regi multis locis[3] fidelis erat repertus[4], habuit provinciam partem Ciliciae juxta Cappadociam, quam incolunt Leucosyri. Datames militari munere fungens primum, qualis esset, aperuit in bello, quod rex adversus Cadusios gessit. Namque hic multis milibus regiorum interfectis magni[5] fuit ejus opera. Quo factum est, cum[6] in eo bello cecidisset Camisares, paterna ei ut traderetur provincia. Pari se virtute[7] postea praebuit, cum Autophrodates jussu regis bello persequeretur eos, qui defecerant. Namque hujus opera[8] hostes, cum castra jam intrassent, profligati sunt exercitusque reliquus conservatus regis est. Qua ex re majoribus rebus praeesse coepit.

[1] Gr. § 211. [2] „anfangs", gleich nachher „zum ersten Male". [3] „bei vielen Gelegenheiten", Gr. § 158 A. 1. [4] Gr. § 157, 2. [5] Gen. des Werthes, Gr. § 204. [6] cum — cecidisset ist Nebensatz zu traderetur [7] Abl. der Eigenschaft. [8] Gr. § 213 A. 1.

2. Erat eo tempore Thuys, dynastes Paphlagoniae antiquo genere, ortus a Pylaemene illo[1], quem Homerus Troico bello a Menelao interfectum ait. Is regi dicto audiens[2] non erat. Quam ob caussam bello eum persequi constituit eique rei praefecit Datamen, propinquum Paphlagonis: namque ex fratre et sorore erant nati[3]. Quam ob caussam Datames primum experiri voluit, ut[4] sine armis propinquum ad officium reduceret. Ad quem cum venisset sine praesidio, quod ab[5] amico nullas vereretur[6] insidias, paene interiit[7]. Nam Thuys eum clam interficere voluit. Erat mater cum Datame, amita Paphlagonis. Ea, quid ageretur, resciit filiumque monuit. Ille fuga periculum evitavit bellumque indixit Thuyni. In quo cum ab Ariobarzane, praefecto Phrygiae, desertus esset, nihilo segnius perseveravit vivumque Thuyn cepit cum uxore et liberis.

[1] Gr. § 266 u. § 386. [2] Gr. § 185a, 1 A. 1. [3] ex fratre et sorore nati, „Geschwisterkinder". [4] Nach experiri folgt gewöhnlicher eine indirecte Frage oder si (Gr. § 282 A.). [5] „von Seiten", Gr. § 190 unter timere. [6] Gedanke des Datames, Gr. § 341 A. 1. [7] „wäre beinahe umgekommen", Gr. § 301 A.

3. Cujus facti ne prius fama ad regem quam ipse perveniret, dedit operam. Itaque omnibus insciis[1] eo, ubi erat rex, venit posteroque die Thuyn, hominem maximi corporis terribilique facie, quod et niger et capillo longo barbaque erat promissa, optima veste texit, quam satrapae regii gerere consuerant, ornavit etiam torque atque armillis aureis ceteroque regio cultu, ipse[2] agresti duplici amiculo circumdatus hirtaque tunica, gerens in capite galeam venatoriam, dextra manu clavam, sinistra copulam, qua[3] vinctum ante se Thuynem agebat, ut si[4] feram bestiam captam duceret. Quem cum omnes conspicerent propter novitatem ornatus ignotamque formam ob eamque rem magnus esset concursus, fuit nonnemo[5], qui agnosceret[6] Thuym regique nuntiaret. Primo non accredidit. Itaque Pharnabazum misit exploratum[7]. A quo ut rem gestam comperit, statim admitti jussit, magnopere delectatus cum facto tum ornatu, inprimis quod nobilis rex

[1] „ohne daß es Jemand wußte", Gr. § 371 A. 4. [2] „während er selbst zc." [3] gehört zu vinctum. [4] Gr. § 350, 2. [5] Gr. § 278. [6] Über den Conjunctiv Gr. § 360. [7] Supin.

in potestatem inopinanti venerat. Itaque magnifice Datamen donatum ad exercitum misit, qui tum contrahebatur duce Pharnabazo et Tithrauste ad bellum Aegyptium, parique eum atque[8] illos imperio esse jussit. Postea vero quam Pharnabazum rex revocavit, illi summa imperii tradita est.

[8] Gr. § 351.

4. Hic cum maximo studio compararet exercitum Aegyptumque[1] proficisci pararet, subito a rege literae sunt ei missae, ut[2] Aspim aggrederetur, qui Cataoniam tenebat; quae gens jacet supra Ciliciam, confinis Cappadociae. Namque Aspis, saltuosam regionem castellisque munitam incolens, non solum imperio regis non parebat, sed etiam finitimas regiones vexabat et, quae regi portarentur[3], abripiebat. Datames etsi longe aberat ab his regionibus et a majore re abstrahebatur, tamen regis voluntati morem gerendum putavit. Itaque cum paucis, sed viris fortibus navem conscendit, existimans, quod accidit[4], facilius se imprudentem parva manu oppressurum quam paratum quamvis[5] magno exercitu. Hac[6] delatus in Ciliciam, egressus inde, dies noctesque iter faciens Taurum transiit eoque, quo studuerat, venit. Quaerit, quibus locis sit Aspis; cognoscit haud longe abesse profectumque eum venatum[7]. Quae dum speculatur, adventus ejus caussa cognoscitur. Pisidas cum eis, quos secum habebat, ad resistendum Aspis comparat. Id Datames ubi audivit, arma sumit, suos sequi jubet; ipse equo concitato ad hostem vehitur. Quem procul Aspis conspiciens ad se vehentem[8] pertimescit atque a conatu resistendi deterritus sese dedidit. Hunc Datames vinctum ad regem ducendum tradit Mithridati.

[1] statt in Aegyptum; nichtrömische Ländernamen auf us werden bisweilen wie Städtenamen construirt. [2] Gr. § 328, 2. [3] „gebracht werden sollte". [4] „was auch eintraf". [5] Gr. § 340, 3 A. 1. [6] näml. nave. [7] Supin. [8] Particip vom Deponens vehi; warum steht hier das Particip?

5. Haec dum geruntur, Artaxerxes reminiscens, a quanto bello ad quam[1] parvam rem principem ducum misisset, se ipse reprehendit et nuntium ad exercitum Acen misit, quod nondum Datamen profectum putabat, qui diceret, ne[2] ab exercitu discederet. Hic priusquam perveniret, quo erat pro-

[1] Gr. § 279 A. 1. [2] Warum ne? Gr. § 328, 2 u. § 329.

fectus, in itinere convenit[3], qui Aspim ducebant. Qua celeritate cum magnam benevolentiam regis Datames consecutus esset, non minorem invidiam aulicorum excepit, qui illum unum pluris[4] quam se omnes fieri videbant. Quo facto[5] cuncti ad eum opprimendum consenserunt. Haec Pandantes, gazae custos regiae, amicus Datami, perscripta ei mittit; docet eum magno fore periculo[6], si quid illo imperante adversi[7] in Aegypto accidisset. Namque eam[8] esse consuetudinem regiam, ut casus adversos hominibus tribuant[9], secundos fortunae suae; quo fieri[10], ut facile impellantur ad eorum perniciem, quorum ductu res male gestae nuntientur. Illum hoc majore fore in discrimine, quod, quibus rex maxime obediat, eos habeat inimicissimos. His ille literis cognitis, cum jam ad exercitum Acen venisset, quod non ignorabat[11] ea vere scripta, desciscere a rege constituit. Mandroclen Magnetem exercitui praefecit; ipse cum suis in Cappadociam discedit conjunctamque huic Paphlagoniam occupat, celans, qua voluntate esset in regem. Clam cum Ariobarzane facit amicitiam, manum comparat, urbes munitas suis tuendas tradit.

[3] Ergänze eos, Gr. § 267 A. 1. [4] Gen. des Werthes. [5] Gr. § 362. [6] Abl. der Eigenschaft, wir: „in großer Gefahr". [7] hängt von quid ab. [8] „das sei rc", Gr. § 152. [9] näml. reges, was aus dem vorangehenden regiam entnommen wird. [10] Gr. § 324 A. 3. [11] Gr. § 278.

6. Sed haec[1] propter hiemale tempus minus prospere procedebant. Audit Pisidas quasdam copias adversus se parare. Filium eo Arsideum cum exercitu mittit: cadit in proelio adolescens. Proficiscitur eo pater non ita[2] cum magna manu, celans, quantum vulnus accepisset, quod prius ad hostem pervenire cupiebat, quam de re male gesta fama ad suos perveniret, ne cognita filii morte animi debilitarentur militum. Quo contenderat, pervenit iisque locis castra ponit, ut neque circumiri multitudine adversariorum posset neque impediri, quominus ipse ad dimicandum manum haberet expeditam. Erat cum eo Metrobarzanes, socer ejus, praefectus[3] equitum. Is desperatis generi rebus ad hostes transfugit. Id Datames ut audivit, sensit, si in turbam exisset ab homine tam necessario se relictum, futurum[4], ut ceteri consilium sequerentur.

[1] d. i. seine Rüstungen. [2] statt cum non ita magna, Gr. § 389, 2; über non ita Gr. § 277 A. 4. [3] „als Befehlshaber". [4] Gr. § 317 A. 1.

In vulgus edit: suo jussu Metrobarzanem profectum pro[5] perfuga, quo facilius[6] receptus interficeret hostes. Quare relinqui eum par non esse et[7] omnes confestim sequi. Quod si animo strenuo fecissent, futurum, ut adversarii non possent resistere, cum et intra vallum et foris caederentur. Hac re probata exercitum educit, Metrobarzanem persequitur tantum; qui cum ad hostes pervenerat, Datames signa inferri jubet. Pisidae nova re commoti in opinionem adducuntur perfugas mala fide ex compositoque fecisse, ut recepti majori essent calamitati. Primum eos adoriuntur. Illi cum, quid ageretur aut quare fieret, ignorarent, coacti sunt cum eis pugnare, ad quos transierant, ab iisque stare[8], quos reliquerant; quibus cum neutri parcerent, celeriter sunt concisi. Reliquos Pisidas resistentes Datames invadit; primo impetu pellit, fugientes persequitur, multos interficit, castra hostium capit. Hoc consilio uno tempore et proditores perculit et hostes profligavit et, quod ad perniciem suam[9] fuerat cogitatum, id ad salutem convertit. Quo[10] neque acutius ullius imperatoris cogitatum neque celerius factum usquam legimus.

[5] „als Überläufer", Gr. § 227, 4. [6] gehört zu interficeret. [7] „sondern es sei billig". [8] Gr. § 224, 1, b. [9] Gr. § 264 u. § 262 A. 1. [10] Abl. der Vergleichung.

7. Ab hoc tamen viro Sysinas, maximus natu[1] filius, desciit ad regemque transiit et de[2] defectione patris detulit. Quo nuntio Artaxerxes commotus, quod intelligebat sibi cum viro forti ac strenuo negotium esse, qui cum cogitasset, facere auderet et prius cogitare quam conari consuesset, Autophrodatem in Cappadociam mittit. Hic ne intrare posset, saltum, in quo Ciliciae portae sunt sitae, Datames praeoccupare studuit. Sed tam subito copias contrahere non potuit. A qua re depulsus cum ea manu, quam contraxerat, locum deligit talem, ut neque circumiretur ab hostibus neque praeteriret adversarius, quin[3] ancipitibus locis premeretur, et, si dimicare eo[4] vellet[5], non multum obesse multitudo hostium suae paucitati posset.

[1] Gr. § 211 A. [2] Gr. § 225 a. E. [3] „ohne zu", Gr. § 337, 1. [4] näml. loco. [5] näml. Datames.

8. Haec etsi Autophrodates videbat, tamen statuit con-

gredi potius quam cum tantis copiis refugere aut tam diu uno loco sedere. Habebat barbarorum equitum XX, peditum centum milia, quos illi[1] Cardacas[2] appellant, ejusdemque generis III milia funditorum; praeterea Cappadocum VIII milia, Armeniorum X milia, Paphlagonum V milia, Phrygum X milia, Lydorum V milia, Aspendiorum et Pisidarum circiter III milia, Cilicum II, Captianorum totidem, ex Graecia conductorum III, levis armaturae maximum numerum. Has adversus copias spes omnis consistebat Datami in se locique natura: namque hujus[3] partem non habebat vicesimam militum. Quibus[4] fretus conflixit adversariorumque multa milia concidit, cum de ipsius exercitu non amplius[5] homines mille cecidissent; quam ob caussam postero die tropaeum posuit, quo loco pridie pugnatum erat. Hinc cum castra movisset, semperque inferior[6] copiis superior omnibus proeliis discederet, quod numquam manum consereret, nisi cum adversarios locorum angustiis clausisset, quod perito regionum callideque cogitanti saepe accidebat, Autophrodates, cum bellum duci majore regis calamitate quam adversariorum videret, ad pacem amicitiamque hortatus est, ut cum rege in gratiam rediret. Quam ille etsi fidam non fore putabat, tamen conditionem accepit seque ad Artaxerxen legatos missurum dixit. Sic bellum, quod rex adversus Datamen susceperat, sedatum est. Autophrodates in Phrygiam se recepit.

[1] Persae. [2] griech. Accus. [3] näml. Autophrodatis; hujus hängt von militum ab. [4] näml. se locique natura. [5] Gr. § 249. [6] „obgleich er — war".

9. At rex, quod implacabile odium in Datamen susceperat, postquam bello eum opprimi non posse animadvertit, insidiis interficere studuit; quas[1] ille plerasque evitavit: sicut[2], cum ei nuntiatum esset quosdam sibi[3] insidiari, qui in amicorum erant numero. De quibus quod inimici detulerant, neque credendum neque negligendum putavit: experiri voluit, verum falsumne[4] sibi esset relatum. Itaque eo profectus est, in quo itinere[5] futuras insidias dixerant. Sed elegit corpore ac statura simillimum sui eique vestitum suum dedit atque eo

[1] „welche aber", Gr. § 368, 2. [2] „so z. B." [3] Warum sibi? Gr. § 261 A. 1. [4] Gr. § 283. [5] „auf dem Wege wohin", Gr. § 195 A. 3.

loco ire, quo ipse consuerat, jussit. Ipse autem ornatu vestituque militari inter corporis custodes iter facere coepit. At insidiatores, postquam in eum locum agmen pervenit, decepti ordine atque vestitu impetum in eum faciunt, qui suppositus erat. Praedixerat autem iis Datames, cum quibus iter faciebat, ut parati essent facere, quod ipsum[6] vidissent. Ipse, ut concurrentes insidiatores animum advertit, tela in eos conjecit. Hoc idem cum universi fecissent, priusquam pervenirent ad eum, quem aggredi volebant, confixi conciderunt.

[6] ist das Masculin; man ergänzt dazu facere.

10. Hic tamen tam[1] callidus vir extremo tempore captus est Mithridatis, Ariobarzanis filii, dolo. Namque is pollicitus est regi se eum interfecturum, si sibi rex permitteret, ut, quodcumque vellet, liceret impune[2] facere, fidemque de ea re more Persarum dextra dedisset. Hanc[3] ut accepit a rege missam, copias parat et absens amicitiam cum Datame facit; regis provincias vexat, castella expugnat, magnas praedas capit, quarum[4] partim suis dispertit, partim ad Datamen mittit; pari modo complura castella ei tradit. Haec diu faciendo persuasit homini[5] se infinitum adversus regem suscepisse bellum, cum nihilo[6] magis[7], ne quam suspicionem illi praeberet insidiarum, neque colloquium ejus petivit neque in conspectum venire studuit. Sic absens amicitiam gerebat, ut non beneficiis mutuis, sed communi odio, quod in regem susceperant, contineri viderentur.

[1] „der so schlaue Mann", „dieser schlaue Mann", Gr. § 265 A. 3. [2] Gr. § 133 A. 1. [3] näml. dextram. [4] hängt von partim ab, Gr. § 197 A. 7. [5] = ei, Gr. § 267. [6] Gr. § 216. [7] Gr. § 351 A. 1.

11. Id[1] cum satis se confirmasse arbitratus est, certiorem facit Datamen tempus esse majores exercitus parari et bellum cum ipso rege suscipi, deque ea re, si ei videretur, quo loco vellet, in colloquium veniret[2]. Probata re colloquendi tempus sumitur locusque, quo[3] conveniretur. Huc Mithridates cum uno, cui maxime habebat fidem, ante aliquot dies[4] venit compluribusque locis separatim gladios obruit ea-

[1] näml. der Haß gegen den König. [2] Über den Conjunctiv Gr. § 324, 2. [3] = in quem, Gr. § 353 A. 3. [4] „einige Tage vorher", Gr. § 163.

que loca diligenter notat. Ipso autem colloquii die utrique[5], locum qui explorarent[6] atque ipsos scrutarentur, mittunt[7]; deinde ipsi sunt congressi. Hic cum aliquamdiu in colloquio fuissent et diversi discessissent jamque procul Datames abesset, Mithridates, priusquam ad suos perveniret, ne quam suspicionem pareret, in eundem locum revertitur atque ibi, ubi telum[8] erat infossum, resedit, ut si lassitudine cuperet acquiescere, Datamenque revocavit, simulans se quiddam in colloquio esse oblitum. Interim telum, quod latebat, protulit nudatumque vagina veste texit ac Datami venienti ait, digredientem se animadvertisse locum quendam, qui erat[9] in conspectu, ad castra ponenda esse idoneum. Quem cum digito demonstraret et ille respiceret, aversum ferro transfixit priusque, quam quisquam[10] posset succurrere, interfecit. Ita ille vir simulata captus est amicitia.

[5] Von zwei Einzelnen findet sich der Plural selten, Gr. § 197 A. 3*). [6] Über das Imperfect, abhängig vom histor. Präsens Gr. § 315 A. 3. [7] s. II. 1. 3. [8] „eine Waffe". [9] Bemerkung des Nepos. [10] Warum nicht aliquis? Gr. § 272, 3.

IX. Hannibal.

1. Hannibal, Hamilcaris filius, Carthaginiensis velut hereditate relictum odium paternum in Romanos sic conservavit, ut prius animam quam id deponeret. Regem Antiochum tanta cupiditate incendit bellandi, ut usque[1] a rubro mari arma conaretur inferre Italiae. Ad quem cum legati venissent Romani, qui de ejus voluntate explorarent[2] darentque operam consiliis clandestinis, ut Hannibalem in suspicionem regi adducerent, tamquam ab ipsis corruptum, alia atque[3] antea sentire[4], neque id frustra fecissent idque Hannibal comperisset seque ab interioribus consiliis segregari vidisset, tempore dato adiit[5] ad regem, eique cum multa de fide sua et odio in Romanos commemorasset, hoc adjunxit: Pater meus, inquit, Hamilcar, puerulo me[6], utpote non amplius[7]

[1] Gr. § 224, 1. [2] Warum Conjunctiv? Über de Gr. § 225 a. E. [3] Gr. § 351. [4] Der Infinitiv steht hier wie bei venire in suspicionem, Gr. § 236. [5] Gr. § 169, 2. [6] Gr. § 373. [7] Was ist hier ausgelassen? Gr. § 249.

VIIII annos nato, in Hispaniam imperator proficiscens Carthagine, Jovi[8] optimo maximo hostias immolavit. Quae divina res dum conficitur, quaesivit a me, vellemne secum in castra proficisci. Id cum libenter accepissem atque ab eo petere coepissem, ne dubitaret ducere[9], tum ille: Faciam, inquit, si mihi fidem, quam postulo, dederis. Simul me ad aram adduxit, apud quam sacrificare instituerat, eamque ceteris remotis tenentem jurare jussit numquam me in amicitia cum Romanis fore. Id ego jusjurandum patri datum usque ad hanc aetatem ita conservavi, ut nemini dubium esse debeat, quin reliquo tempore eadem mente sim futurus. Quare, si quid amice de Romanis cogitabis, non imprudenter feceris[10], si me celaris; cum quidem[11] bellum parabis[12], te ipsum frustraberis, si non me in eo[13] principem posueris.

[8] Gemeint ist Baal, der höchste Gott der Carthager; die Griechen und Römer pflegten auf fremde Gottheiten die Namen derjenigen Götter ihres Glaubens überzutragen, welche jenen am ähnlichsten waren. [9] Gr. § 337 A. 2. [10] Über das Futur exact im Hauptsatz Gr. § 296 A. 2. [11] quidem ist hier adversativ, „aber", Gr. § 365, 6. [12] Gr. § 167 A. 2. [13] näml. parando.

2. Antiocho apud Sipylum flumen fugato[1] Hannibal verens, ne dederetur, Cretam venit, ut ibi, quo se conferret[2], consideraret. Vidit autem vir omnium callidissimus magno se fore periculo[3], nisi quid providisset, propter avaritiam Cretensium. Magnam enim secum pecuniam portabat, de qua sciebat exisse famam. Itaque capit hoc consilium. Amphoras complures complet plumbo, summas[4] operit auro et argento. Has praesentibus principibus deponit in templo Dianae, simulans se suas fortunas illorum fidei credere. His in errorem inductis statuas aëneas, quas secum portabat, omni sua pecunia complet easque in propatulo domi abjicit. Cretenses templum magna cura custodiunt non tam[5] a[6] ceteris quam ab Hannibale, ne quid ille inscientibus se[7] tolleret secumque duceret. Sic conservatis suis rebus Poenus illusis Cretensibus omnibus ad Prusiam in Pontum pervenit[8].

[1] im J. 190 v. Chr. [2] „sich begeben sollte", Gr. § 327a A. 1. [3] Abl. der Eigenschaft, wir: „in großer Gefahr". [4] „oben", Gr. § 247, 2. [5] Gr. § 351. [6] „vor", „gegen", vergl. Gr. § 224, 5. [7] „ohne ihr Vorwissen", Gr. § 371 A. [8] „gelangte glücklich", Gr. § 140, 4.

3. Senatores Romani, qui Hannibale vivo[1] numquam se sine insidiis futuros existimarent[2], legatos in Bithyniam ad Prusiam regem miserunt, in his Flamininum, qui ab rege peterent[3], ne inimicissimum[4] suum secum haberet sibique[5] dederet. His Prusias negare ausus non est: illud recusavit, ne id a se fieri postularent[6], quod[7] adversus jus hospitii esset: ipsi, si possent, comprehenderent[8]; locum, ubi esset, facile inventuros. Hannibal enim uno loco se tenebat, in castello, quod ei a rege datum erat muneri[9], idque sic aedificarat, ut in omnibus partibus aedificii exitus haberet[10], scilicet verens, ne usu veniret, quod accidit. Huc cum legati Romanorum venissent ac multitudine domum ejus circumdedissent, puer ab janua prospiciens Hannibali dixit plures praeter[11] consuetudinem armatos apparere. Qui imperavit ei, ut omnes fores aedificii circumiret ac propere sibi nuntiaret, num eodem modo undique obsideretur. Puer cum celeriter, quid esset, renuntiasset omnesque exitus occupatos ostendisset, sensit id non fortuito[12] factum, sed se peti neque sibi diutius vitam esse retinendam[13]. Quam ne alieno arbitrio dimitteret, memor pristinarum virtutum venenum, quod semper secum habere consuerat, sumpsit.

[1] Gr. § 373. [2] Warum Conjunctiv? Gr. § 361. [3] Warum Conjunctiv? [4] Gr. § 185a, 2 A. 2. [5] que, „sondern". [6] Über den Infinitivsatz nach postulare Gr. § 321 A. 1. [7] Relativ. [8] Über den Conjunctiv Gr. § 324, 2. [9] Gr. § 192, 2. [10] Hannibal. [11] Gr. § 181, 2. [12] Gr. § 132 A. 1. [13] Gr. § 298 A.

X. Atticus.

1. T. Pomponius Atticus perpetuo a majoribus acceptam equestrem obtinuit dignitatem. Patre usus est[1] diligenti et, ut[2] tum erant tempora, diti[3] inprimisque studioso literarum. Hic, prout ipse amabat literas, omnibus doctrinis, quibus puerilis aetas impertiri debet, filium erudivit[4]. Erat autem in[5] puero praeter docilitatem ingenii summa suavitas oris at-

[1] „hatte", Gr. § 221 A. 2. [2] „für die damaligen Zeiten", Gr. § 350, 1 A. 1. [3] Gr. § 58, 2 A. [4] „ließ unterrichten", Gr. § 320 A. 2. [5] Gr. § 218 A.

que vocis, ut non solum celeriter acciperet, quae tradebantur, sed etiam excellenter pronuntiaret. Qua ex re in pueritia nobilis inter aequales ferebatur clariusque exsplendescebat, quam generosi condiscipuli animo aequo ferre possent. Itaque incitabat omnes studio suo. Quo[6] in numero fuerunt L. Torquatus, G. Marius filius, M. Cicero; quos consuetudine sua sic devinxit, ut nemo his perpetuo esset carior.

[6] Gr. § 195 A. 3.

2. Pater mature decessit. Ipse adolescentulus Athenas se contulit. Hic autem sic se gerebat, ut communis infimis[1], par principibus videretur. Quo factum est, ut huic omnes honores, quos possent, publice haberent civemque facere[2] studerent; quo beneficio ille uti noluit. Quamdiu affuit, ne qua sibi statua poneretur, restitit; absens prohibere non potuit. Huc ex Asia Sulla decedens cum venisset, quamdiu ibi fuit, secum habuit Pomponium, captus adolescentis et humanitate et doctrina. Sic enim Graece loquebatur, ut Athenis natus videretur; tanta autem suavitas erat sermonis Latini, ut appareret in eo[3] nativum quendam leporem esse, non ascitum. Idem poëmata pronuntiabat et Graece et Latine sic, ut supra nihil posset addi[4]. Quibus rebus factum est, ut Sulla nusquam ab se dimitteret[5] cuperetque secum deducere. Qui cum persuadere tentaret: Noli, oro te, inquit Pomponius[6], adversum eos me velle ducere, cum quibus[7] ne contra te arma ferrem, Italiam reliqui. At Sulla adolescentis officio collaudato omnia munera ei, quae Athenis acceperat[8], proficiscens jussit deferri.

Hic complures annos moratus, cum et rei familiari tantum operae daret, quantum non indiligens[9] deberet paterfamilias, et omnia reliqua tempora aut literis aut Atheniensium reipublicae tribueret, nihilo minus amicis urbana officia praestitit. Nam et ad comitia eorum ventitavit et, si qua res

[1] infimis gehört zu communis, „leutselig gegen die Niedrigsten“. [2] civem ist Prädicat; über den Infinitiv § 236. [3] näml. sermone Latino. [4] ut — addi, „auf unübertreffliche Weise“, Gr. § 253 A. [5] näml. eum. [6] Über diese feste Wortstellung Gr. § 391 A. [7] „derentwegen ich Italien verließ, um nicht mit ihnen 2c.“, Gr. § 356 A. [8] näml. Sulla. [9] non indiligens = satis diligens, s. VII. 1. 4.

major[10] acta est, non defuit[11]. Sicut[12] Ciceroni in omnibus periculis singularem fidem praebuit; cui ex patria fugienti HS[13] ducenta et quinquaginta milia donavit. Tranquillatis autem rebus Romanis remigravit Romam, ut opinor[14], L. Cotta et L. Torquato consulibus. Quem diem sic universa civitas Atheniensium prosecuta est, ut lacrimis desiderii futuri dolorem indicaret.

[10] res major, „eine etwas wichtige Sache", „eine Sache von Bedeutung". [11] Litotes, „war er zugegen". [12] s. VIII. 9. 2. [13] Gr. § 415. [14] Gr. § 318 A. 5.

3. Habebat avunculum Q. Caecilium, equitem Romanum, familiarem L. Luculli, divitem, difficillima natura. Cujus sic asperitatem veritus est, ut, quem[1] nemo ferre posset, hujus[2] sine offensione ad summam senectutem[3] retineret benevolentiam. Quo facto[4] tulit pietatis fructum. Caecilius enim moriens testamento adoptavit eum heredemque fecit ex[5] dodrante; ex qua hereditate accepit circiter centies sestertium[6]. Erat nupta[7] soror Attici Q. Tullio Ciceroni, easque nuptias M. Cicero conciliarat, cum quo a condiscipulatu vivebat conjunctissime, multo etiam[8] familiarius quam cum Quinto, ut judicari possit plus in amicitia valere similitudinem morum quam affinitatem. Utebatur[9] autem[10] intime Q. Hortensio, qui his temporibus principatum eloquentiae tenebat, ut intelligi non posset, uter eum plus diligeret, Cicero an Hortensius.

In republica ita est versatus, ut semper optimarum partium et esset[11] et existimaretur, neque tamen se civilibus fluctibus committeret, quod non magis[12] eos in sua potestate existimabat esse, qui se his dedissent, quam qui maritimis jactarentur. Honores non petiit, cum[13] ei paterent propter vel[14] gratiam vel dignitatem.

[1] „den doch". [2] hängt von benevolentiam ab. [3] näml. Caecilii. [4] Gr. § 362. [5] Gr. § 416, 2. [6] Gr. § 415. [7] Gr. § 186 A. 1. [8] Gr. § 248 A. [9] Gr. § 221 A. 2. [10] „ferner", Gr. § 365, 2. [11] „gehörte zu —", Gr. § 205. [12] Gr. § 351 A. 1. [13] concessiv. [14] Die gewöhnliche Stellung wäre: vel propter gratiam vel propter dignitatem, doch vergl.: cum et diurno et nocturno metu, Gr. § 389 A. 3.

4. Nullas inimicitias[1] gessit, quod neque laedebat quem-

[1] Gr. § 51.

quam neque, si quam injuriam acceperat, non[2] malebat oblivisci quam ulcisci. Idem immortali memoria percepta[3] retinebat beneficia; quae autem ipse tribuerat, tamdiu meminerat, quoad ille gratus erat, qui acceperat. Itaque hic fecit, ut vere dictum videatur

Sui cuique[4] mores fingunt fortunam hominibus.

Domum habuit in colle Quirinali Tamphilianam, ab avunculo hereditate relictam; cujus amoenitas non aedificio[5], sed silva constabat. Ipsum enim tectum antiquitus[6] constitutum plus salis quam sumptus habebat; in quo[7] nihil commutavit, nisi si[8] quid[9] vetustate coactus est. Usus est familia, si utilitate judicandum est, optima; si forma, vix mediocri. Namque in ea erant pueri literatissimi, anagnostae optimi et plurimi librarii, ut ne pedisequus quidem quisquam esset, qui non utrumque horum[10] pulchre facere posset, pari modo artifices ceteri, quos cultus domesticus desiderat, apprime boni. Neque tamen horum quemquam nisi domi natum domique factum habuit; quod est signum non solum continentiae, sed etiam diligentiae. Elegans[11], non magnificus; splendidus, non sumptuosus: omnisque diligentia munditiam, non affluentiam affectabat. Supellex modica[11], non multa. Nemo in convivio ejus aliud acroama audivit quam anagnosten: neque umquam sine aliqua lectione apud eum coenatum est, ut non minus animo quam ventre convivae delectarentur. Namque eos vocabat, quorum mores a suis non abhorrerent[12]. Cum tanta pecuniae facta esset accessio[13], nihil de quotidiano cultu mutavit, nihil de vitae consuetudine tantaque usus est moderatione, ut neque in[14] sestertio vicies, quod a patre acceperat, parum se splendide gereret neque in sestertio centies affluentius viveret, quam instituerat. Nullos habuit hortos, nullam suburbanam aut maritimam sumptuosam villam, neque in Italia praeter Arretinum et Nomentanum rusticum praedium, omnisque[15] ejus[16] pecuniae reditus constabat

[2] Gr. § 278. [3] gehört zu beneficia. [4] Über die Stellung des quisque Gr. § 386. [5] Gr. § 208a A. 3. [6] Gr. § 136, 1. [7] = sed in eo, Gr. § 362. [8] Gr. § 338 A. 5. [9] Ergänze commutare. [10] näml. vorlesen und schreiben. [11] Ergänze erat. [12] Warum Conjunctiv? Gr. § 360. [13] durch die Erbschaft seines Oheims. [14] „bei“, „trotz“, Gr. § 230, b, 4. [15] gehört zu reditus. [16] näml. Attici.

in Epiroticis et urbanis possessionibus. Ex quo cognosci potest usum eum pecuniae non magnitudine, sed ratione metiri[17] solitum.

[17] Gr. § 215.

5. Mendacium neque dicebat neque pati poterat. Itaque ejus comitas non sine severitate erat neque gravitas sine facilitate, ut difficile esset intellectu[1], utrum eum amici magis vererentur an amarent. Quidquid[2] rogabatur, religiose promittebat, quod non liberalis[3], sed levis arbitrabatur polliceri, quod praestare non posset[4]. Idem in nitendo[5], cum semel annuisset, tanta erat cura, ut non mandatam, sed suam rem videretur agere. Numquam suscepti negotii eum pertaesum est: suam enim existimationem in ea re agi putabat; qua nihil habebat carius. Quo fiebat, ut omnia Ciceronum, Catonis, Q. Hortensii, Auli Torquati, multorum praeterea equitum Romanorum negotia procuraret.

[1] Gr. § 245. [2] „Es mochte eine Bitte an ihn gestellt werden, welche wollte, er gab sein Versprechen mit Gewissenhaftigkeit"; promittebat steht somit absolut d. i. ohne Object. [3] Gr. § 206 u. A. 2. [4] Was ist hiezu Subject? [5] „in seinen Bemühungen", das gegebene Versprechen zu erfüllen.

6. Humanitatis vero nullum afferre majus testimonium possum, quam quod[1] adolescens idem seni Sullae fuit jucundissimus, senex adolescenti M. Bruto, cum aequalibus autem suis, Q. Hortensio et M. Cicerone, sic vixit, ut judicare difficile sit, cui aetati fuerit aptissimus. Quamquam[2] eum praecipue dilexit Cicero, ut ne frater quidem ei Quintus carior esset aut familiarior. Ei rei sunt indicio praeter eos libros, in quibus de eo facit mentionem, qui in vulgus sunt editi, undecim volumina epistolarum ab consulatu ejus usque ad extremum tempus ad Atticum missarum; quae qui legat, non multum desideret[3] historiam contextam eorum temporum. De pietate autem[4] Attici quid[5] plura commemorem?[6] cum hoc[7] ipsum[8] vere gloriantem audierim in funere matris suae, quam extulit annorum XC[9], annis VII et LX se nunquam cum matre in gratiam redisse, nunquam cum sorore fuisse

[1] Gr. § 342, 1. [2] steht hier in einem Hauptsatze, Gr. § 340, 3 A. 2. [3] Welcher Modus? Gr. § 302. [4] s. 3, 10. [5] Gr. § 279 A. 2. [6] Gr. § 304. [7] ist Neutrum im Accus., Gr. § 168 A. 2. [8] ist Masculin, näml. Atticum. [9] = natam annos XC, Gr. § 196.

in simultate, quam prope aequalem habebat. Quod est signum aut nullam[10] unquam inter eos querimoniam intercessisse aut hunc ea fuisse in suos indulgentia, ut, quos amare deberet[11], irasci eis nefas duceret.

[10] Gr. § 278. [11] Gedanke des Atticus, daher Conjunctiv.

7. Tali modo cum VII et LXX annos complesset atque ad extremam senectutem non minus dignitate quam[1] gratia fortunaque crevisset tantaque prosperitate usus esset valetudinis, ut annis XXX[2] medicina non indiguisset, nactus est morbum, quem initio et ipse et medici contempserunt. Nam putarunt esse tenesmon, cui remedia celeria faciliaque proponebantur. In hoc cum tres menses sine ullis[3] doloribus, praeterquam quos ex curatione capiebat, consumpsisset, subito tanta vis morbi in unum intestinum prorupit, ut extremo tempore per lumbos fistulae puris erumperent. Atque hoc priusquam ei accideret, postquam in dies[4] dolores accrescere febresque accessisse sensit, Agrippam generum ad se accersi jussit et cum eo L. Cornelium Balbum Sextumque Peducaeum. Hos ut venisse vidit, in cubitum innixus: Quantam, inquit, curam diligentiamque in valetudine mea tuenda hoc tempore adhibuerim, cum vos testes habeam, nihil[5] necesse est pluribus verbis commemorare. Quoniam nihil reliqui[6] feci, quod ad sanandum me pertineret, reliquum est, ut[7] egomet mihi consulam. Id vos ignorare nolui. Nam mihi stat alere morbum desinere. Namque his diebus quidquid cibi sumpsi, ita produxi vitam, ut[8] auxerim dolores sine spe salutis. Quare a vobis peto, primum, ut consilium probetis meum, deinde, ne frustra[9] dehortando impedire conemini.

[1] Gr. § 351 A. 1. [2] Warum Ablativ? Gr. § 162. [3] Gr. § 272, 3. [4] Gr. § 230, a, 2. [5] s. VI. 3. 5. [6] Gr. § 198 A. 1. [7] Gr. § 334, 4. [8] ita — ut, „zwar — aber", Gr. § 334, 1 A. [9] gehört zu dehortando.

8. Hac oratione habita tanta constantia vocis atque vultus, ut non ex vita, sed ex domo in domum[1] videretur migrare, cum Agrippa eum flens atque osculans oraret atque obsecraret, ne ad id, quod[2] natura cogeret, ipse quoque sibi[3] acceleraret, et se sibi suisque reservaret[4], preces ejus

[1] „aus einem Hause in ein anderes". [2] Gr. § 172, 3 A. [3] dat. incommodi, „zu seinem Schaden". [4] s. IV. 2. 1.

taciturna sua obstinatione depressit. Sic cum biduum cibo se abstinuisset, subito febris decessit leviorque morbus esse coepit. Tamen propositum nihilo secius peregit. Itaque die quinto, postquam id consilium inierat[5], pridie Cal. Apriles[6] Gn. Domitio [7]G. Sosio consulibus decessit. Elatus est in lecticula, ut ipse praescripserat, sine ulla pompa funeris, comitantibus omnibus bonis, maxima vulgi frequentia[8]. Sepultus est juxta viam Appiam ad quintum lapidem in monumento Q. Caecilii, avunculi sui.

[5] Warum Plusquamperfect? Gr. § 346 A. [6] Gr. S. 320. [7] Über das fehlende et Gr. § 363, 9, c. [8] Über diesen absolut. Abl. Gr. § 373.

Justinus.

I. Philipp von Macedonien.

(359–336 v. Ch.).

1. Ut Philippus est ingressus imperium, magna de illo spes omnibus fuit et propter ipsius ingenium et propter vetera Macedoniae fata: quae cecinerant uno ex[1] Amyntae filiis regnante florentissimum fore Macedoniae statum. Principio rerum, cum hinc hostium multitudo, inde inopia continuis bellis exhausti regni immaturam aetatem tironis urgerent, bella, quae velut conspiratione quadam ad opprimendam Macedoniam multarum gentium[2] ex diversis locis uno tempore confluebant, quoniam omnibus par esse non poterat, dispensanda ratus alia interposita pactione componit, alia redimit. Primum illi cum Atheniensibus certamen fuit: quibus per[3] insidias victis metu belli gravioris, cum interficere omnes posset, incolumes sine pretio dimisit. Post hos bello in Illyrios translato multa milia hostium caedit: urbem nobilissimam Larissam non praedae cupiditate, sed quod exercitui suo robur Thessalorum equitum adjungere gestiebat, nihil minus quam bellum metuentem improvisus expugnat, unumque corpus equitum pedestriumque copiarum invicti exercitus fecit. Quibus rebus feliciter procedentibus Olympiadem, Neoptolemi regis Molossorum filiam, uxorem ducit.

His ita gestis Philippus jam non[4] satis habens[5] submovere bella ultro etiam quietos lacessit. Cum Methonen urbem oppugnaret, in praetereuntem de muris sagitta jacta dextrum oculum regis effodit. Quo vulnere nec segnior in bellum nec iracundior adversus hostes factus est, adeo ut interjectis diebus pacem deprecantibus daret, nec moderatus tantum, verum etiam mitis adversus victos esset.

[1] Gr. § 197 A. 1. [2] abhängig von conspiratione. [3] Gr. § 182, 4. [4] häufiger non jam, Gr. § 277 A. 4. [5] Gr. § 236.

2. Graeciae civitates, dum imperare singulae cupiunt, imperium omnes perdiderunt: quippe in mutuum exitium sine

modo ruentes omnibus perire[1], quod singulae amitterent, nisi oppressae non[2] senserunt: siquidem Philippus rex Macedoniae, velut e specula quadam libertati omnium insidiatus, dum contentiones civitatum alit auxilium inferioribus ferendo, victos pariter et victores subire regiam servitutem coëgit. Caussa et origo hujus mali Thebani fuere, qui cum rerum potirentur[3], secundam fortunam imbecillo animo ferentes victos armis Lacedaemonios et Phocenses apud commune Graeciae concilium[4] superbe accusaverunt. Lacedaemoniis crimini datum, quod arcem Thebanam induciarum tempore occupassent; Phocensibus, quod Boeotiam depopulati essent. Cum judicium arbitrio victorum exerceretur, tanta pecunia[5] damnantur, quanta exsolvi non posset. Igitur Phocenses cum agris, liberis conjugibusque privarentur, desperatis rebus Philomelo quodam duce velut deo irascentes templum Apollinis Delphis occupavere. Inde auro[6] et pecunia divites conducto mercenario milite[7] bellum Thebanis intulerunt. Factum Phocensium, tametsi omnes exsecrabantur propter sacrilegium, plus tamen invidiae Thebanis, a quibus ad hanc necessitatem compulsi erant, quam ipsis intulit. Itaque auxilia his et ab Atheniensibus et a Lacedaemoniis missa. Prima igitur congressione Philomelus Thebanos castris exuit. Sequenti proelio primus inter confertissimos dimicans cecidit et sacrilegii poenas impio sanguine luit. In hujus locum dux Onomarchus creatur.

[1] Der Subjectsaccusativ id ist vor dem Relativ ausgelassen, Gr. § 267 A. 1. [2] nisi—non, Gr. § 387 A. 3. [3] Gr. § 221 A 1. [4] Mit commune Graeciae concilium ist die delphische Amphictyonie gemeint, die aus Abgeordneten der griechischen Staaten bestand und über deren gemeinsame Angelegenheiten erkannte; sie versammelte sich jährlich zweimal. [5] Über diesen Abl. Gr. § 203 A. 2. [6] Zu Delphi gab es viele goldene Weihgeschenke. [7] Gr. § 151 A. 9.

3. Adversus quem Thebani Thessalique non ex civibus suis, sed Philippum Macedoniae regem ducem eligunt. Igitur Philippus, quasi sacrilegii, non Thebanorum ultor esset, omnes milites coronas laureas sumere jubet atque ita veluti deo duce in proelium pergit. Phocenses insignibus dei conspectis conscientia delictorum territi abjectis armis fugam capessunt poenasque violatae religionis sanguine et caedibus

suis pendunt. Incredibile quantum[1] ea res apud omnes nationes Philippo gloriae dedit: illum[2] vindicem sacrilegii, illum ultorem religionum. Dignum itaque qui[3] a[4] dis proximus habeatur, per quem deorum majestas vindicata sit[5]. Sed Athenienses audito belli eventu, ne in Graeciam Philippus transiret, angustias Thermopylarum pari ratione sicuti antea advenientibus Persis occupavere.

[1] incredibile quantum, „unglaublich viel", vergl. Gr. § 279 A. 3. [2] Ergänze esse; der Infinitivsatz hängt von dem zu ergänzenden dicebant ab. [3] Gr. § 360, c. [4] Vergl. secundus a rege, Gr. § 224, 1. [5] Warum Conjunctiv?

4. Philippus per regna mittit[1] et opulentissimas civitates, qui famam sererent regem Philippum magna pecunia locare[2] et muros per civitates et fana ac templa facienda, et qui per praecones susceptores sollicitarent. Qui[3] cum in Macedoniam venissent, variis dilationibus frustrati, vim regiae majestatis timentes taciti proficiscebantur. Post haec Olynthios aggreditur: receperant enim per misericordiam duos fratres ejus, quos Philippus ex noverca genitos interficere gestiebat. Ob hanc igitur caussam urbem antiquam et nobilem exscindit et praeda ingenti fruitur. Inde, quasi omnia quae agitasset animo ei licerent, auraria in Thessalia, argenti metalla in Thracia occupat et, ne quod jus vel fas inviolatum praetermitteret, piraticam quoque exercere instituit. His ita gestis forte evenit, ut eum fratres duo, reges Thraciae, disceptationum suarum judicem eligerent. Sed Philippus more ingenii sui ad judicium veluti ad bellum inopinantibus[4] fratribus instructo exercitu supervenit regnoque utrumque non judicis more, sed fraude latronis ac scelere spoliavit.

[1] Über das Object zu mittit s. Nep. II. 1. 3. [2] Gr. § 214 u. § 377, 2. [3] näml. susceptores. [4] Gr. § 371 A. 4.

5. Dum haec aguntur, legati Atheniensium petentes pacem ad eum venerunt. Quibus auditis et ipse legatos Athenas cum pacis conditionibus misit: ibique ex commodo utrorumque pax facta. Ex ceteris quoque Graeciae civitatibus non pacis amore, sed belli metu legationes venere: siquidem Thessali Boeotiique orant, ut se adversus Phocenses ducem Graeciae exhibeat. Contra Phocensium legati adhibitis La-

cedaemoniis et Atheniensibus bellum deprecabantur. Philippus secreto auditis utrisque legationibus his veniam belli pollicetur, jurejurando adactis responsum nemini proditurosⁱ; illis contra venturum se auxiliumque laturum: utrosque vetat parare bellum aut metuere. Sic securis[2] omnibus Thermopylarum angustias occupat.

Tunc primum Phocenses captos se fraude Philippi animadvertentes trepidi ad arma confugiunt. Sed neque spatium erat instruendi belli nec tempus ad contrahenda auxilia; et Philippus excidium minabatur, ni fieret deditio. Victi igitur necessitate pacta salute se dederunt. Sed caeduntur passim rapiunturque; non liberi parentibus, non conjuges maritis, non deorum simulacra templis suis relinquuntur. Unum tantum miseris solatium fuit, quod, cum Philippus portione praedae socios fraudasset, nihil rerum suarum apud inimicos viderunt. Reversus in regnum populos et urbes ad libidinem suam transfert: alios populos in finibus ipsis hostibus opponit, alios in extremis statuit. Atque ita ex multis gentibus nationibusque unum regnum populumque constituit.

[1] Ergänze se und esse, Gr. § 318 A. 3. [2] Gr. § 373.

6. In Graeciam Philippus cum venisset, sollicitatus paucarum civitatum direptione et ex praeda modicarum urbium, quantae opes universarum essent, animo prospiciens, bellum toti Graeciae inferre statuit. Ad quam rem egregie pertinere ratus, si Byzantium, nobilem et maritimam urbem, in potestatem suam redegisset, eandem claudentem sibi portas obsidione cinxit. Sed, ne unius urbis oppugnatione tantus exercitus tereretur, profectus cum fortissimis multas Chersonesi urbes expugnat filiumque Alexandrum, decem et octo annos natum, ut sub militia patris tirocinii rudimenta deponeret, ad se arcessit. In Scythiam quoque praedandi caussa profectus est.

Erat eo tempore rex Scytharum Atheas, qui cum bello Histrianorum premeretur, auxilium a Philippo per Apollonienses petit, in successionem eum regni Scythiae adoptaturus[1]: cum interim Histrianorum rex decedens et metu belli et auxiliorum necessitate Scythas solvit. Itaque Atheas remissis Macedonibus nuntiari Philippo jubet, neque auxilium

[1] „da er entschlossen, Willens sei ihn zu adoptiren".

ejus se petisse neque adoptionem mandasse: nam neque vindicta Macedonum egere Scythas, neque heredem sibi incolumi[2] filio deesse.

[2] Gr. § 373.

7. His auditis Philippus legatos ad Atheam mittit impensae obsidionis portionem petentes, ne inopia deserere bellum cogatur: quod eo promptius eum facere debere, quod missis a se auxilio militibus ne sumptum quidem viae dederit. Atheas inclementiam coeli et terrae sterilitatem caussatus, quae non patrimoniis ditaret Scythas, respondit nullas sibi opes esse, quibus tantum regem expleret; Scythas virtute animi et duritia corporis, non opibus censeri. Quibus irrisus Philippus soluta obsidione Byzantii Scythica bella aggreditur, praemissis legatis, qui nuntiarent Atheae: dum Byzantium obsideret, vovisse se statuam Herculi, ad quam in ostio Histri ponendam se venire: pacatum accessum ad religionem dei petens, amicus ipse Scythis venturus. Ille, si voto fungi vellet, statuam sibi mitti jubet: non modo ut ponatur, verum etiam ut inviolata maneat, curae sibi fore pollicetur; exercitum autem fines ingredi negat se passurum. Ac si invitis Scythis statuam ponat, eo digresso sublaturum versurumque aes statuae in aculeos sagittarum. His[1] utrimque irritatis animis proelium committitur. Cum virtute et animo praestarent Scythae, astu Philippi vincuntur. XX milia puerorum[2] ac feminarum capta, pecoris magna vis, auri argentique nihil. XX milia nobilium equarum in Macedoniam missa.

[1] „hiedurch". [2] Weiber und Kinder folgten dem Heere, wie bei den alten Deutschen.

8. Sed revertenti ab Scythia Triballi Philippo occurrunt; negant se transitum daturos, ni portionem praedae accipiant. Hinc jurgium et mox proelium; in quo ita in femore vulneratus est Philippus, ut per corpus ejus equus interficeretur. Cum omnes occisum putarent, praeda amissa est. Ita Scythica velut devota spolia paene luctuosa Macedonibus fuere. Ubi vero ex vulnere primum[1] convaluit, diu dissimulatum bellum Atheniensibus infert, quorum caussae Thebani se junxere, metuentes, ne victis Atheniensibus veluti

[1] gehört zu ubi, Gr. § 346.

vicinum incendium belli ad se transiret. Facta igitur inter duas paulo ante infestissimas civitates societate legationibus Graeciam fatigant; communem hostem putant communibus viribus submovendum: neque enim cessaturum Philippum, si prospere prima successerint, nisi omnem Graeciam domuerit. Motae quaedam civitates Atheniensibus se jungunt; quasdam autem ad Philippum belli metus traxit. Proelio commisso Athenienses virtute Macedonum vincuntur; non tamen immemores pristinae gloriae cecidere: quippe adversis vulneribus omnes loca, quae tuenda a ducibus acceperant, morientes corporibus texerunt. Hic dies universae Graeciae et gloriam dominationis et vetustissimam libertatem finivit.

9. Hujus victoriae callide dissimulata laetitia: non solita sacra Philippus illa die fecit, non in convivio risit, non coronas aut unguenta sumpsit, et quantum in[1] illo fuit, ita vicit, ut victorem nemo sentiret; nec regem se Graeciae, sed ducem appellari jussit. Atheniensibus et captivos gratis remisit et bello occisorum corpora ad sepulturam reddidit. Super haec Alexandrum filium cum amico Antipatro, qui pacem cum his amicitiamque jungeret, Athenas misit. Thebanorum autem non solum captivos, verum etiam interfectorum sepulturam vendidit. Principes civitatis alios securi percussit, alios in exsilium ire coëgit, bonaque omnium occupavit. Pulsos deinde per injuriam[2] in patriam restituit. Ex horum numero trecentos exsules judices rectoresque civitati dedit: apud quos cum potentissimi quique[3] rei[4] ejus ipsius criminis postularentur, quod per injuriam se in exsilium egissent, hujus constantiae fuerant, ut omnes se auctores[5] faterentur meliusque cum republica actum, cum damnati essent quam cum restituti, contenderent.

[1] Gr. § 230, b, a. E. [2] gehört zu pulsos. [3] Gr. § 273. [4] von reus. [5] näml. in exsilium agendi.

10. Compositis in Graecia rebus Philippus omnium civitatum legatos ad formandum rerum praesentium statum evocari Corinthum jubet. Ibi pacis legem universae Graeciae pro meritis singularum civitatum statuit consiliumque omnium veluti unum senatum ex omnibus legit. Soli Lacedaemonii et regem et leges contempserunt, servitutem, non pa-

cem rati, quae non ipsis civitatibus conveniret[1], sed a victore ferretur. Auxilia deinde singularum civitatum describuntur, sive adjuvandus ea manu rex oppugnante aliquo foret seu duce illo bellum inferendum. Neque enim dubium erat, quin imperium Persarum his apparatibus peteretur. Summa auxiliorum CC milia peditum fuere et equitum XV milia. Extra hanc summam et Macedoniae exercitus erant et confinis domitarum gentium barbaria. Initio veris tres duces in Asiam praemittit, Parmenionem, Amyntam, Attalum, cujus sororem nuper in matrimonium receperat.

Interea, dum auxilia a Graecia coëunt, nuptias Cleopatrae filiae et Alexandri, quem regem Epiri fecerat, celebrat. Dies erat pro[2] magnitudine duorum regum, et collocantis filiam et uxorem ducentis, apparatibus insignis. Nec ludorum magnificentia deerat: ad quos spectandos Philippus cum sine custodibus corporis medius inter duos Alexandros, filium generumque, contenderet, Pausanias, nobilis ex Macedonibus adolescens, nemini suspectus, occupatis angustiis Philippum in transitu obtruncat diemque laetitiae destinatum foedum luctu funebri facit.

[1] ergänze cum eo.

11. Decessit Philippus XL et septem annorum[1], cum annos XXV regnasset. Fuit rex armorum quam conviviorum studiosior, cui maximae opes erant instrumenta bellorum: divitiarum quaestu quam custodia sollertior. Itaque inter quotidianas rapinas semper inops erat. Nulla apud eum turpis ratio vincendi. Blandus pariter et insidiosus, in seria et jocos artifex. Amicitias utilitate, non fide colebat. Gratiam fingere in odio, instruere inter concordantes odia, apud utrumque gratiam quaerere sollemnis illi consuetudo. Inter haec[2] eloquentia[3] et insignis oratio, acuminis et sollertiae plena, ut nec ornatui facilitas nec facilitati inventionum deesset ornatus. Huic Alexander filius successit et virtute et vitiis patre major. Itaque vincendi ratio utrique diversa. Hic aperta vi, ille artibus bella tractabat. Deceptis ille gaudere[4] hostibus, hic palam fusis. Prudentior ille consilio, hic animo

[1] Gr. § 196. [2] inter haec, „dabei", „dazu". [3] Ergänze: in eo erat. [4] historischer Infinitiv.

magnificentior. Iram pater dissimulare, plerumque etiam vincere: hic ubi exarsisset[5], nec dilatio ultionis nec modus erat. Vini nimis uterque avidus: sed ebrietatis diversa vitia. Patri mos erat etiam de convivio in hostem procurrere, manum conserere, periculis se temere offerre: Alexander non in hostem, sed in suos saeviebat. Quam ob rem saepe Philippum vulneratum proelia remisere: hic amicorum interfector convivio frequenter excessit. Regnare ille cum amicis nolebat, hic in amicos regna exercebat. Amari pater malle, hic metui. Literarum cultus utrique similis. Sollertiae pater majoris, hic fidei. Verbis atque oratione Philippus, hic rebus moderatior. Parcendi victis filio animus et promptior et honestior. Frugalitati pater, luxuriae filius magis deditus erat. Quibus artibus orbis imperii fundamenta pater jecit, operis totius gloriam filius consummavit.

[5] conj. iterativus, Gr. § 327, 3.

II. Alexander der Große.

(336—323 v. Ch.).

1. In exercitu Philippi sicuti variae gentes erant, ita eo occiso diversi motus animorum fuere: alii quippe injusta servitute oppressi ad spem se libertatis erigebant; alii taedio longinquae militiae remissam sibi expeditionem gaudebant; nonnulli facem nuptiis[1] filiae accensam rogo patris subditam dolebant. Amicos quoque tam subita mutatione rerum haud mediocris metus ceperat, reputantes nunc provocatam Asiam, nunc Europam nondum perdomitam, nunc Illyrios, Thracas ceterasque barbaras gentes fidei dubiae et mentis infidae: qui omnes populi si pariter deficiant, sisti nullo modo posse. Quis[2] rebus veluti medella quaedam interventus Alexandri fuit: qui pro contione ita vulgus omne consolatus hortatusque pro[3] tempore est, ut et metum timentibus demeret et in spem omnes impelleret. Erat hic annos XX natus: in qua aetate ita moderate de se multa pollicitus est, ut appareret plura eum experimentis reservare. Macedonibus immunitatem cunctarum rerum praeter militiae vacationem dedit: quo facto

[1] Dativ. [2] = quibus, Gr. § 79, 1 A. [3] Gr. § 227, 5.

tantum sibi favorem omnium conciliavit, ut corpus hominis, non virtutem regis mutasse se dicerent.

2. Prima illi cura paternarum exsequiarum fuit, in quibus ante omnia caedis conscios ad tumulum patris occidi jussit. Inter initia[1] multas gentes rebellantes compescuit; orientes nonnullas seditiones exstinxit. Quibus rebus erectus citato gradu in Graeciam contendit, ubi exemplo patris Corinthum evocatis civitatibus dux in locum ejus substituitur. Inchoatum deinde a patre Persicum bellum aggreditur: in cujus apparatu occupato nuntiatur Athenienses et Thebanos ab eo ad Persas defecisse auctoremque ejus defectionis magno auri pondere a Persis corruptum Demosthenem oratorem exstitisse, qui Macedonum deletas omnes cum rege copias a Triballis affirmaverit producto in contionem auctore, qui in eo proelio, in quo rex ceciderit, se quoque vulneratum diceret. Qua opinione mutatos omnium ferme civitatum animos esse; praesidia Macedonum obsideri. Quibus motibus occursurus[2] tanta celeritate instructo paratoque exercitu Graeciam oppressit, ut, quem venire non senserant, videre se vix crederent.

[1] näml. regni. [2] bezeichnet die Absicht.

3. In transitu hortatus Thessalos erat beneficiorumque Philippi patris maternaeque suae cum his ab Aeacidarum gente necessitudinis admonuerat. Cupide haec Thessalis audientibus exemplo patris dux universae gentis creatus erat et vectigalia omnia reditusque suos ei tradiderant. Sed Athenienses, sicuti primi defecerant, ita primos poenitere coepit, contemptum hostis in admirationem vertentes pueritiamque Alexandri spretam antea supra virtutem veterum ducum extollentes. Missis itaque legatis bellum deprecantur: quibus auditis et graviter increpitis Alexander bellum remisit. Inde Thebas exercitum convertit, eadem indulgentia usurus[1], si parem poenitentiam invenisset. Sed Thebani armis, non precibus nec deprecatione usi sunt. Itaque victi gravissima quaeque[2] supplicia miserrimae captivitatis experti sunt. Cum in consilio de excidio urbis deliberaretur, Phocenses et Plataeenses et Thespienses et Orchomenii, Alexandri socii victoriaeque participes, excidia urbium suarum crudelitatemque Thebanorum refere-

[1] „entschlossen zu —". [2] Gr. § 273.

bant, studia in Persas non praesentia tantum, verum et vetera adversus Graeciae libertatem increpantes: quam ob rem odium eos omnium populorum esse: quod vel ex eo manifestari, quod jurejurando se omnes obstrinxerint, ut victis Persis Thebas diruerent. Adjiciunt et scelerum priorum fabulas, quibus omnes scenas repleverint, ut non praesenti tantum perfidia, verum et vetere infamia invisi forent.

4. Tunc Cleadas[1], unus ex captivis, data potestate dicendi: non a rege se defecisse, quem interfectum audierint, sed a regis heredibus: quidquid in eo sit admissum, credulitatis, non perfidiae culpam esse; cujus tamen jam magna se supplicia pependisse deleta juventute: nunc senum feminarumque sicuti infirmum, ita innoxium restare vulgus, quod ipsum contumeliis ita vexatum esse, ut nihil amarius umquam sint passi; nec jam pro civibus se, qui tam pauci remanserint, orare, sed pro innoxio patriae solo et pro urbe, quae non viros tantum, verum et deos[2] genuerit. Privata etiam regem superstitione deprecatur geniti apud ipsos Herculis, unde originem gens Aeacidarum trahat, actaeque Thebis a patre ejus Philippo pueritiae: rogat, urbi parcat[3], quae majores ejus partim apud se genitos deos adoret, partim educatos summae majestatis reges viderit. Sed potentior fuit ira quam preces. Itaque urbs diruitur[4]; agri inter victores dividuntur; captivi sub corona veneunt, quorum pretium non ex ementium commodo, sed ex inimicorum odio extenditur. Miseranda res Atheniensibus visa: itaque portas refugiis profugorum contra interdictum regis aperuere. Quam rem ita graviter tulit Alexander, ut secunda legatione denuo bellum deprecantibus ita demum remitteret, ut oratores[5] et duces[6], quorum fiducia totiens rebellarent, sibi dederentur: paratisque Atheniensibus, ne cogerentur subire bellum, eo res deducta est, ut retentis oratoribus duces in exsilium agerentur, qui ex continenti ad Darium profecti non mediocre momentum Persarum viribus accessere.

[1] Ergänze dicit. [2] näml. Bacchus und Hercules. [3] Gr. § 328 A. 3. [4] Jedoch das Haus des Dichters Pindar wurde verschont. [5] besonders Demosthenes und Lycurg. [6] besonders Charidemus.

5. Proficiscens ad Persicum bellum reges stipendiarios

conspectioris ingenii ad commilitium secum trahit, segniores ad tutelam regni relinquit. Adornato deinde exercitu naves onerat, unde conspecta Asia incredibili ardore mentis accensus duodecim aras deorum statuit. Patrimonium omne suum, quod in Macedonia Europaque habebat, amicis dividit, sibi Asiam sufficere praefatus. Priusquam ulla navis litore excederet, hostias caedit petens victoriam bello, quo totiens a Persis petitae Graeciae ultor electus sit. Obliti omnes conjugum liberorumque et longinquae a domo militiae Persicum aurum et totius orientis opes jam quasi suam praedam ducebant nec belli periculorumque, sed divitiarum meminerant. Cum delati in continentem essent, primus Alexander jaculum velut in hostilem terram jecit armatusque de navi tripudianti similis prosiluit atque ita hostias cecidit, precatus ne se regem illae terrae invitae acciperent. In Ilio quoque ad tumulos eorum, qui Trojano bello ceciderant, parentavit.

6. Inde hostem petens militem a populatione Asiae prohibuit, parcendum suis rebus praefatus nec perdenda ea, quae possessuri venissent. In exercitu ejus fuere peditum XXXII milia, equitum IIII milia quingenti, naves centum octoginta duae. Hac tam parva manu universum terrarum orbem utrum admirabilius vicerit an aggredi ausus sit, incertum est. Cum ad tam periculosum bellum exercitum legeret, non juvenes robustos nec primum florem aetatis, sed veteranos, plerosque etiam emeritae militiae, qui cum patre patruisque militaverant, elegit: ut non tam[1] milites quam magistros militiae electos putares[2]. Ordines quoque nemo nisi sexagenarius duxit: ut, si principia castrorum cerneres, senatum te priscae alicujus reipublicae videre diceres. Itaque nemo in proelio fugam, sed victoriam cogitavit; nec in pedibus cuiquam spes, sed in lacertis fuit. Contra rex Persarum Darius fiducia virium nihil astu agere[3], affirmans suis occulta consilia victoriae furtivae convenire: nec hostem regni finibus arcere, sed in intimum regnum accipere, gloriosius ratus repellere bellum quam non admittere. Prima igitur congressio in campis Adrastiis[4] fuit. In acie Persarum

[1] Gr. § 351. [2] Potentialis, vergl. Gr. § 302. [3] histor. Inf. [4] am Flusse Granicus im J. 334.

sexcenta[5] milia militum fuere, quae non minus arte Alexandri quam virtute Macedonum superata terga verterunt. Magna itaque caedes Persarum fuit. De exercitu Alexandri novem pedites, centum XX equites cecidere: quos rex impense ad ceterorum exemplum humatos statuis equestribus donavit cognatisque eorum immunitates dedit. Post victoriam major pars Asiae ad eum defecit. Gessit et plura bella cum praefectis Darii, quos jam non tam armis quam terrore nominis sui vicit.

[5] Diese Zahl ist bedeutend übertrieben.

7. Post haec Gordion urbem petit, quae posita est in Phrygia majore: cujus urbis potiundae[1] non tam propter praedam cupido eum cepit, sed quod audierat in ea urbe in templo Jovis jugum Gordii positum, cujus nexum si quis solvisset, eum tota Asia regnaturum antiqua oracula cecinisse. Hujus rei caussa et origo illa fuit. Gordius cum in his regionibus bubus conductis araret, aves eum omnis generis circumvolare coeperunt. Profectus ad consulendos augures vicinae urbis obviam in porta habuit virginem eximiae pulchritudinis; percontatus est eam, quem potissimum augurem consuleret. Illa audita caussa consulendi, gnara artis ex disciplina parentum, regnum ei portendi respondit, polliceturque se et matrimonii et spei sociam. Post nuptias inter Phrygas orta seditio est. Consulentibus de fine discordiarum oracula responderunt regem discordiis opus esse. Iterum quaerentes de persona regis jubentur eum regem observare, quem reversi primum in templum Jovis euntem plaustro reppperissent. Obvius illis Gordius fuit, statimque eum regem consalutant. Ille plaustrum, quo vehenti[2] regnum delatum erat, in templo Jovis positum majestati regiae consecravit. Igitur Alexander capta urbe cum in templum Jovis venisset, jugum plaustri requisivit: quo exhibito cum capita loramentorum intra nodos abscondita reperire non posset, violentius oraculo usus gladio loramenta caedit atque ita resolutis nexibus latentia in nodis capita invenit.

[1] Gr. § 239 A. [2] von vehor.

8. Haec illi agenti nuntiatur Darium cum ingenti exercitu adventare. Itaque timens angustias magna celeritate

Taurum transcendit, in qua festinatione quingenta stadia cursu confecit. Cum Tarsum venisset, captus Cydni fluminis amoenitate per mediam urbem influentis projectis armis plenus pulveris ac sudoris in praefrigidam undam se projecit: tum repente tantus nervos ejus occupavit rigor, ut interclusa voce non spes modo[1] remedii, sed ne dilatio quidem periculi inveniretur. Unus erat ex medicis, nomine Philippus, qui solus remedium polliceretur; sed et ipsum[2] Parmenionis pridie a Cappadocia missa epistola suspectum faciebat, qui ignarus infirmitatis Alexandri scripserat, ut a Philippo medico caveret: nam corruptum illum a Dario ingenti pecunia esse. Tutius tamen ratus dubiae se fidei medici credere quam morbo perire. Accepto igitur poculo epistolam medico tradidit atque ita inter bibendum oculos in vultum legentis intendit. Ut securum conspexit, laetior factus est sanitatemque quarta die recepit.

[1] non modo, „nicht nur nicht", Gr. § 363, 7. [2] et ipsum, „auch ihn", Gr. § 270.

9. Interea Darius cum CCCC milibus peditum ac centum milibus equitum in aciem[1] procedit. Movebat haec multitudo hostium respectu paucitatis suae Alexandrum: sed reputabat, quantas res cum ista paucitate gessisset quantosque populos fudisset. Itaque cum spes metum vinceret, periculosius differre proelium ratus, ne desperatio suis cresceret, circumvectus suos singulas gentes diversa oratione alloquitur: Illyrios et Thracas opum ac divitiarum ostentatione, Graecos veterum bellorum memoria internecivique cum Persis odii accendebat; Macedonas autem nunc Europae victae admonet, nunc Asiae expetitae; nec inventos illis toto orbe pares viros gloriatur: ceterum et laborum finem hunc et gloriae cumulum fore. Atque inter haec identidem consistere aciem jubet, ut hac mora consuescant oculis turbam hostium sustinere. Nec Darii segnis opera in ordinanda acie fuit: quippe omissis ducum officiis ipse omnia circumire, singulos hortari, veteris gloriae Persarum imperiique perpetuae a dis immortalibus datae possessionis admonere. Post haec proelium ingentibus animis committitur. In eo uterque rex vulneratur. Tam diu

[1] bei Issus in Cilicien im J. 333.

certamen anceps fuit, quoad fugeret Darius. Exinde caedes Persarum secuta est. Caesa sunt peditum sexaginta unum milia, equitum decem milia; capta XL milia. Ex Macedonibus cecidere pedites centum XXX, equites CL. In castris Persarum multum auri ceterarumque opum inventum. Inter captivos castrorum mater et uxor et filiae duae Darii fuere. Ad quas visendas hortandasque cum Alexander veniret, conspectis armatis invicem se amplexae, velut statim moriturae, complorationem ediderunt. Provolutae deinde ad genua Alexandri non mortem, sed, dum Darii corpus sepeliant, dilationem mortis deprecantur. Motus tanta mulierum pietate Alexander et Darium vivere dixit et timentibus mortis metum dempsit easque et haberi ut reginas jussit.

10. Post haec opes Darii divitiarumque apparatum contemplatus admiratione tantarum rerum capitur. Tunc primum luxuriosa convivia et magnificentiam plurimum sectari; tunc et Barsinen captivam diligere propter formae pulchritudinem coepit: a qua postea susceptum puerum Herculem vocavit. Memor tamen Darium vivere Parmeniona ad occupandam Persicam classem aliosque amicos ad recipiendas Asiae civitates misit: quae statim audita fama victoriae ipsis Darii praefectis cum auri magno pondere tradentibus se in potestatem victorum venerunt. Tunc in Syriam proficiscitur, ubi obvios cum infulis multos orientis reges habuit. Ex his pro meritis singulorum alios in societatem recepit, aliis regnum ademit suffectis in loca eorum novis regibus. Insignis praeter ceteros fuit Abdalonymus, rex ab Alexandro Sidone constitutus: quem Alexander, cum operam locare ad puteos exhauriendos hortosque irrigandos solitus esset, misere vitam tolerantem regem fecerat spretis nobilibus, ne generis id, non dantis beneficium putarent. Tyriorum civitas cum coronam auream magni ponderis per legatos Alexandro misisset, grate munere accepto Tyrum se ire velle ad vota Herculi reddenda dixit. Cum legati rectius id eum in Tyro vetere et antiquiore templo facturum dicerent, deprecantes ejus introitum, ita exarsit, ut urbi excidium minaretur; confestimque exercitu insulae applicato, non minus animosis Tyriis[1] fiducia Car-

[1] absolut. Abl.

thaginiensium, bello excipitur. Augebat enim Tyriis animos Didonis exemplum, quae Carthagine condita tertiam partem orbis quaesisset: turpe ducentibus, si feminis suis plus animi fuisset in imperio quaerendo quam sibi in tuenda libertate. Amota igitur imbelli aetate Carthaginem et arcessitis auxiliis non multo post capiuntur.

11. Inde Rhodum Alexander et Aegyptum sine certamine recepit. Ad Jovem deinde Ammonem pergit consulturus et de eventu futurorum et de origine sua. Namque Alexander cupiens originem divinam acquirere per praemissos subornat antistites, quid sibi responderi vellet. Ingredientem templum statim antistites ut Ammonis filium salutant. Ille laetus dei adoptione hoc se patre censeri jubet. Rogat deinde, num omnes interfectores parentis sui sit ultus? Respondetur patrem ejus nec interfici posse nec mori: regis Philippi plene peractam ultionem. Tertia interrogatione poscenti victoriam omnium bellorum possessionemque terrarum[1] dari respondetur. Comitibus quoque responsum, ut Alexandrum pro deo, non pro rege colerent. Hinc illi aucta insolentia mirusque animo increvit tumor exempta comitate, quam et Graecorum literis et Macedonum institutis didicerat. Reversus ab Ammone Alexandream condidit et coloniam Macedonicam caput esse Aegypti jubet.

[1] = orbis terrarum.

12. Darius cum Babylonem perfugisset, per epistolam Alexandrum precatur, redimendarum sibi captivarum potestatem faciat[1], inque eam rem[2] magnam pecuniam pollicetur. Sed Alexander pretium captivarum regnum omne, non pecuniam petit. Interjecto tempore alia epistola Darii Alexandro redditur, qua filiae matrimonium et regni portio offertur. Sed Alexander sua sibi dari rescripsit jussitque supplicem venire, regni arbitria victori permittere. Tunc spe pacis amissa bellum Darius reparat et cum quadringentis milibus peditum, centum milibus equitum obviam vadit Alexandro. In itinere nuntiatur uxorem ejus decessisse, ejusque morti illacrimatum Alexandrum exsequiasque benigne prosecutum. Tunc se ratus vere victum, cum post proelia etiam beneficiis ab hoste

[1] Gr. § 328 A. 3. [2] „zu diesem Zwecke“.

superaretur, gratumque sibi esse, si vincere nequiret, quod a tali potissimum vinceretur. Scribit itaque et tertiam epistolam et gratias agit, quod nihil in suos hostile fecerit. Offert deinde et majorem partem regni usque ad Euphraten flumen et alteram filiam uxorem, pro reliquis captivis XXX milia talentum. Ad haec Alexander gratiarum actionem ab hoste supervacaneam esse respondet; nec a se quicquam factum in hostis adulationem, sed animi magnitudine, qua didicerit adversum vires hostium, non adversus calamitates contendere; polliceturque praestaturum se ea Dario, si secundus sibi, non par haberi velit. Ceterum neque mundum posse duobus solibus regi, nec orbem summa duo regna salvo statu terrarum habere: proinde[3] aut deditionem ea die aut in posteram aciem paret; nec polliceatur sibi aliam, quam sit expertus, victoriam.

[3] Gr. § 366.

13. Postera die aciem producunt: cum repente ante proelium confectum curis Alexandrum somnus arripuit. Cum ad pugnam solus rex deesset, a Parmenione aegre excitatus, quaerentibus somni caussas omnibus inter pericula, magno se aestu liberatum ait, somnumque sibi a repentina securitate datum, quod liceret cum omnibus Darii copiis confligere; veritum se longam belli moram, si Persae exercitum divisissent. Ante proelium utraque acies hostibus spectaculo fuit. Macedones multitudinem hominum, corporum magnitudinem armorumque pulchritudinem mirabantur: Persae a tam paucis victa suorum tot milia stupebant. Nec duces circuire suos cessabant: Darius vix denis Armeniis singulos hostes, si divisio fieret, evenire dicebat; Alexander Macedonas monebat, ne multitudine hostium, ne corporis magnitudine vel coloris novitate moverentur: tantum meminisse jubet, cum iisdem se tertio pugnare; nec meliores factos putarent fuga, cum in aciem secum tam tristem memoriam caedium suarum et sanguinis duobus proeliis fusi ferrent; et quemadmodum Dario majorem turbam hominum esse[1], sic virorum sibi. Hortatur, spernant illam aciem auro et argento fulgentem, in qua plus praedae quam periculi sit, cum victoria non ornamentorum decore, sed ferri virtute quaeratur.

[1] Über den Infinitivsatz Gr. § 324 A. 2.

14. Post haec proelium[1] committitur. Macedones in ferrum cum contemptu totiens a se victi hostis ruebant: contra Persae mori quam vinci praeoptabant. Raro in ullo proelio tantum sanguinis fusum est. Darius cum vinci suos videret, mori et ipse voluit, sed a proximis ut fugeret compulsus est. Suadentibus deinde quibusdam, ut pons Cydni fluminis ad iter hostium impediendum interscinderetur, non ita se saluti suae velle consultum[2] ait, ut tot milia sociorum hosti objiciat: debere et aliis fugae viam patere, quae patuerit sibi. Alexander autem periculosissima quaeque aggrediebatur et, ubi confertissimos hostes acerrime pugnare conspexisset[3], eo se immergebat periculaque sua esse, non militis volebat. Hoc proelio Asiae imperium rapuit, quinto post acceptum regnum anno: cujus tanta felicitas fuit, ut post hoc nemo rebellare auderet patienterque Persae post imperium tot annorum jugum servitutis acciperent. Donatis refectisque militibus XXXIIII diebus praedam recognovit. In urbe deinde Susis XL milia talentum invenit. Expugnat et Persepolim, caput Persici regni, urbem multis annis illustrem refertamque orbis terrarum spoliis, quae interitu ejus primum apparuere. Inter haec octingenti admodum Graeci occurrunt Alexandro, qui poenam captivitatis truncata corporis parte tulerant, rogantes, ut sicuti Graeciam se quoque ab hostium crudelitate vindicaret. Data potestate redeundi agros accipere maluerunt, ne non tam gaudium parentibus quam detestandum sui conspectum reportarent.

[1] in der Nähe von Arbela und Gaugamela in Assyrien im October 331. [2] Gr. § 321 A. 2. [3] conj. iterativus, Gr. § 327, 3.

15. Interea Darius in gratiam victoris a cognatis suis aureis compedibus catenisque in vico Parthorum Thara vincitur. Alexander quoque citato cursu postera die supervenit; ibi cognovit Darium clauso vehiculo per noctem exportatum. Jusso igitur exercitu subsequi cum sex milibus equitum fugientem insequitur, in itinere multa et periculosa proelia facit. Emensus deinde plura milia passuum cum nullum Darii indicium repperisset, respirandi equis data potestate unus ex militibus, dum ad fontem proximum pergit, in vehiculo Darium multis quidem vulneribus confossum, sed spirantem ad-

huc invenit: qui[1] perferri haec Alexandro jubet: se illius debitorem mori, quod in matre liberisque suis regium ejus, non hostilem animum expertus felicius hostem quam cognatos propinquosque sortitus sit. Alexandro referre se, quam solam moriens possit, gratiam: precari superum[2] inferumque numina et regales deos, ut illi terrarum omnium victori contingat imperium. Post haec exspiravit. Quae ubi Alexandro nuntiata sunt, viso corpore mortui tam indignam illo fastigio mortem lacrimis prosecutus est corpusque regio more sepeliri et reliquias ejus majorum tumulis inferri jussit.

[1] näml. Darius. [2] Vergl. über diese Genitivform Gr. § 23.

16. Alexander in persequendo Dario amissos milites magnis funerum impensis extulit, reliquis expeditionis ejus sociis tredecim milia talentum divisit. Equorum major pars aestu amissa erat, inutiles etiam qui superfuerant facti. Pecunia omnis, centum nonaginta milia talentum, Ecbatana congesta eique Parmenio praepositus.

Dum haec aguntur, epistola Antipatri ex Macedonia ei redditur, qua bellum Agidis, regis Spartanorum, in Graecia; bellum Alexandri, regis Epiri, in Italia; bellum Zopyrionis, praefecti ejus in Scythia, continebatur[1]. Namque post profectionem Alexandri Graecia ferme omnis in occasionem[2] reciperandae libertatis ad arma concurrerat, auctoritatem Lacedaemoniorum secuta: Philippi Alexandrique et pacem soli spreverant et leges respuerant. Dux hujus belli Agis rex Lacedaemoniorum fuit: quem motum Antipater contractis militibus in ipso ortu oppressit. Magna tamen utrimque caedes fuit. Agis rex cum suos terga dantes videret, dimissis satellitibus, ut Alexandro felicitate, non virtute inferior videretur, tantam stragem hostium edidit, ut agmina interdum fugaret. Ad postremum, etsi a multitudine victus, gloria tamen omnes vicit.

[1] „enthalten war“. [2] in occasionem, „um die Gelegenheit zu benützen“.

17. Porro Alexander rex Epiri, in Italiam auxilia Tarentinis adversus Bruttios deprecantibus sollicitatus, ita cupide profectus erat, veluti in divisione orbis terrarum Alexandro Olympiadis filio oriens, sibi occidens sorte contigis-

set, non minorem rerum materiam in Italia, Africa Siciliaque, quam ille in Asia et in Persis habiturus. Huc accedebat, quod ei responsum Dodonaei Jovis urbem Pandosiam amnemque Acheronta praedixerat fatalem. Quae utraque[1] cum in Epiro essent, ignarus eadem et in Italia esse, ad declinanda fatorum pericula peregrinam militiam cupidius elegerat. Igitur cum in Italiam venisset, primum illi bellum cum Apulis fuit, quorum cognito urbis fato brevi post tempore pacem et amicitiam cum rege eorum fecit. Erat enim tunc urbs Apulis Brundisium, quam Aetoli secuti tum fama rerum ad Trojam gestarum clarissimum et nobilissimum ducem Diomedem condiderant: sed pulsi ab Apulis consulentes oracula responsum acceperant, locum qui repetissent perpetuo possessuros. Hac igitur ex caussa per legatos cum belli comminatione restitui sibi ab Apulis urbem postulaverant; sed ubi Apulis oraculum innotuit, interfectos legatos in urbe sepelierant, perpetuam ibi sedem habituros. Atque ita defuncti responso diu urbem possederunt. Quod factum cum cognovisset Alexander, antiquitatis fata veneratus bello Apulorum abstinuit. Gessit et cum Bruttiis Lucanisque bellum multasque urbes cepit; cum Metapontinis et Poediculis et Romanis foedus amicitiamque fecit. Sed Bruttii Lucanique cum auxilia a finitimis contraxissent, acrius bellum repetivere. Ibi rex juxta urbem Pandosiam et flumen Acheronta, non prius fatalis loci cognito nomine quam occideret, interficitur moriensque non in patria fuisse sibi periculosam mortem, propter quam patriam fugerat, intellexit. Corpus ejus Thurii publice redemptum sepulturae tradiderunt.

Dum haec in Italia aguntur, Zopyrion quoque, praefectus Ponti ab Alexandro magno relictus, otiosum se ratus, si nihil et ipse gessisset, contracto XXX milium exercitu Scythis bellum intulit caesusque cum omnibus copiis poenas temere illati belli genti innoxiae luit.

[1] Über den Plural Gr. § 197 A. 3*).

18. Haec cum nuntiata in Parthia Alexandro essent, simulato maerore propter Alexandri cognationem exercitui suo tridui[1] luctum indixit. Omnibus deinde velut perpetrato

[1] Gen. der Dauer.

bello reditum in patriam exspectantibus ad contionem exercitum vocat: ibi nihil actum tot egregiis proeliis ait, si incolumis orientalis barbaria relinquatur; nec se corpus, sed regnum Darii petisse; persequendosque eos esse, qui a regno defecerint. Hac oratione velut ex integro incitatis militum animis Hyrcaniam Mardosque subegit.

Post haec Alexander habitum regum Persarum et diadema insolitum antea regibus Macedonicis, velut in leges eorum quos vicerat transiret, assumit. Quae ne invidiosius in se uno conspicerentur, amicos quoque suos longam vestem auratam purpuream que sumere jubet. His rebus ingentes epularum apparatus adjicit conviviumque ludis exornat, immemor prorsus tantas opes amitti his moribus, non quaeri solere.

Parthis deinde domitis praefectus his statuitur ex nobilibus Persarum Andragoras: inde postea originem Parthorum reges habuere.

19. Interea Alexander hostili odio saevire in suos coepit. Maxime indignabatur carpi se sermonibus suorum, quod Philippi patris patriaeque mores subvertisset. Propter quae crimina Parmenion quoque senex, dignitate regi proximus, cum Philota filio, de utroque prius quaestionibus habitis, interficitur. Fremere itaque omnes universis castris coepere innoxii senis filiique casum miserantes, interdum se quoque non debere melius sperare dicentes. Quae cum nuntiata Alexandro essent, verens, ne haec opinio etiam in Macedoniam divulgaretur et victoriae gloria saevitiae macula infuscaretur, simulat se ex amicis quosdam in patriam victoriae nuntios missurum. Hortatur milites, ut suis scriberent, rariorem habituros occasionem propter remotiorem militiam. Datos fasces epistolarum tacite ad se deferri jubet; ex quibus cognito de se singulorum judicio in unam cohortem eos, qui de rege durius opinati erant, contribuit, aut occisurus eos aut in ultimis terris in colonias distributurus.

Inde Drancas, Euergetas, Parapamesadas, Arios ceterosque populos, qui in radice Caucasi morabantur, subegit. Interea unus ex amicis Darii Bessus vinctus perducitur, qui regem non solum prodiderat, verum et interfecerat. Quem

in ultionem perfidiae excruciandum fratri Darii tradidit, reputans non tam hostem suum fuisse Darium quam amicum ejus, a quo esset occisus. Et ut his terris nomen relinqueret, urbem Alexandream super amnem Tanaim condidit, intra diem septimum decimum muro sex milium passuum consummato, translatis earum civitatum populis, quas Cyrus condiderat. In Bactrianis quoque Sogdianisque XII urbes condidit, distributis his, quoscumque in exercitu seditiosos habebat.

20. His ita gestis sollemni die amicos in convivium convocat: ubi orta inter ebrios rerum a Philippo gestarum mentione praeferre se patri ipse rerumque suarum magnitudinem extollere ad coelum coepit assentante majore convivarum parte. Itaque cum unus e senibus, Clitus, fiducia amicitiae regiae, cujus palmam tenebat, memoriam Philippi tueretur laudaretque ejus res gestas, adeo regem offendit, ut telo a satellite rapto eundem in convivio trucidaret[1]. Postquam satiatus caede animus conquievit et in irae locum successit aestimatio, modo personam occisi, modo caussam occidendi considerans[2], pigere eum facti coepit: quippe paternas laudes tam iracunde accepisse se, quam ne convicia quidem debuisset; amicumque senem et innoxium a se occisum inter epulas et pocula lugebat. Eodem igitur furore in poenitentiam quo prius in iram versus mori voluit. Primum in fletus progressus amplecti mortuum, vulnera tractare, quasi audienti confiteri dementiam; arreptum telum in se vertit peregissetque facinus, nisi amici intervenissent. Mansit haec voluntas moriendi etiam sequentibus diebus. Accesserat enim poenitentiae nutricis suae et sororis Cliti recordatio, cujus absentis eum maxime pudebat: tam foedam illi alimentorum suorum mercedem redditam, ut, in cujus manibus pueritiam egisset, huic juvenis et victor pro beneficiis funera remitteret. Reputabat deinde, quantum in exercitu suo, quantum apud devictas gentes fabularum atque invidiae, quantum apud ceteros amicos metum et odium sui fecisset, quam amarum et triste reddidisset convivium suum, non armatus in acie quam in convivio terribilior. Tunc Parmenion et Philotas aliique

[1] näml. Alexander. [2] bezieht sich auf aestimatio.

Macedoniae exstincti principes occurrerunt. Ob haec ille quadriduum perseveravit in inedia, donec exercitus universi precibus exoratus est, precantis, ne ita morte unius doleret, ut universos perderet, quos in ultimam deductos barbariam inter infestas et irritatas bello gentes destitueret. Multum profuere Callisthenis philosophi preces, condiscipulatu apud Aristotelen familiaris illi et tunc ab ipso rege ad prodenda memoriae gesta ejus acciti. Revocato igitur ad bella animo Charasmos et Dahas in deditionem accepit.

21. Dein non salutari, sed adorari se jubet. Acerrimus inter recusantes Callisthenes fuit. Quae res et illi et multis principibus Macedonum exitio fuit, siquidem specie insidiarum omnes interfecti sunt.

Post haec Indiam petit, ut Oceano ultimoque oriente finiret imperium. Cui gloriae ut etiam exercitus ornamenta convenirent, phaleras equorum et arma militum argento inducit exercitumque suum ab argenteis clipeis Argyraspidas appellavit. Cum ad Nysam urbem venisset, oppidanis[1] non repugnantibus fiducia[2] religionis Liberi patris, a quo condita urbs erat, parci jussit, laetus non militiam tantum, verum et vestigia se dei secutum. Tunc ad spectandum sacrum montem duxit exercitum, qui mons vite hederaque vestitus erat; sed exercitus ejus ubi ad montem accessit, repentino impetu mentis in sacros dei ululatus instinctus cum stupore regis sine noxa discurrit, ut intelligeret non tam oppidanis se parcendo quam exercitui suo consuluisse. Peragrata India cum ad saxum mirae asperitatis et altitudinis, in quod multi populi confugerant, pervenisset, cognoscit Herculem ab expugnatione ejusdem saxi terrae motu prohibitum. Captus itaque cupidine Herculis facta superandi cum summo labore ac periculo potitus saxo omnes ejus loci gentes in deditionem accepit.

[1] Dativ, abhängig von parci. [2] Abl. des Grundes, zu repugnantibus gehörig.

22. Unus ex regibus Indorum fuit, Porus nomine, viribus corporis et animi magnitudine pariter insignis, qui bellum jam pridem audita Alexandri fama in adventum ejus parabat. Commisso itaque proelio exercitum suum Macedonas

invadere jubet, sibi regem eorum privatum hostem deposcit. Nec Alexander pugnae moram fecit: sed prima congressione vulnerato equo cum praeceps ad terram decidisset, concursu satellitum servatur. Porus multis vulneribus obrutus capitur. Qui victum se adeo doluit, ut, cum veniam ab hoste accepisset, neque cibum sumere vellet neque vulnera curari pateretur aegreque ab eo obtineretur, ut vellet vivere. Quem Alexander ob honorem virtutis incolumem in regnum remisit. Duas ibi urbes condidit: unam Nicaeam, alteram ex nomine equi Bucephalen vocavit. Inde Adrestas, Catteanos, Praesidas caesis eorum exercitibus expugnat. Cum ad Sopithem venisset, ubi eum hostium CC milia opperiebantur, exercitus omnis non minus victoriarum numero quam laboribus fessus lacrimis eum deprecatur, finem tandem bellis faceret; aliquando patriae reditusque meminisset; respiceret militum annos, quibus vix aetas ad reditum sufficeret. Ostendere alius canitiem, alius vulnera, alius aetate consumpta corpora, alius cicatricibus exhausta: solos se esse, qui duorum regum, Philippi Alexandrique, continuam militiam pertulerint. Motus his tam justis precibus velut in finem victoriae castra solito[1] magnificentiora fieri jussit, quorum molitionibus et hostis terreretur et posteris admiratio sui relinqueretur. Nullum opus laetius milites fecere.

[1] Gr. § 212 A.

23. Inde Alexander ad amnem Acesinem pergit: per hunc in Oceanum devehitur, ubi Acensanas Sibosque, quos Hercules condidit, in deditionem accepit. Hinc in Mandros et Sudracas navigat, quae gentes eum armatis LXXX milibus peditum et LX milibus equitum excipiunt. Cum proelio victor esset, exercitum ad urbem eorum ducit. Quam desertam a defensoribus cum de muro, quem primus ceperat, animadvertisset, in urbis planitiem sine ullo satellite desiluit. Itaque cum eum hostes solum conspexissent, clamore edito undique concurrunt, si[1] possint in uno capite orbis bella finire et ultionem tot gentibus dare. Nec minus Alexander constanter restitit et unus adversus tot milia proeliatur. Incredibile dictu est, ut[2] eum non multitudo hostium, non vis

[1] Gr. § 282 A. [2] „wie".

magna telorum, non tantus lacessentium clamor terruerit, solus tot milia ceciderit ac fugaverit. Ubi vero obrui multitudine se vidit, trunco se, qui tum propter murum stabat, applicuit: cujus auxilio tutus cum diu agmen sustinuisset, tandem cognito periculo ejus amici ad eum desiliunt: ex quibus multi caesi, proeliumque tam diu anceps fuit, quoad omnis exercitus muris dejectis auxilio veniret. In eo proelio sagitta sub mamma trajectus cum sanguinis fluxu deficeret, genu posito tam diu proeliatus est, donec eum, a quo vulneratus erat, occideret. Curatio vulneris gravior ipso vulnere fuit.

24. Itaque ex[1] magna desperatione tandem saluti redditus Polyperconta cum exercitu Babylona mittit, ipse cum lectissima manu navibus conscensis Oceani litora peragrat. Cum venisset ad urbem Sambi regis, oppidani invictum ferro audientes sagittas veneno armant atque ita gemino mortis vulnere hostem a muris submoventes plurimos interficiunt. Cum inter multos vulneratus etiam Ptolemaeus esset moriturusque jam jamque videretur, per quietem regi monstrata in remedia veneni herba est, qua in potu accepta statim periculo liberatus est majorque pars exercitus hoc remedio servata. Expugnata deinde urbe reversus in nave Oceano libamenta dedit, prosperum in patriam reditum precatus: ac positis imperii terminis, quatenus aut terrarum solitudines prodire passae sunt aut mare navigabile fuit, secundo aestu ostio fluminis Indi invehitur. Ibi monumenta[2] rerum a se gestarum urbem et arcem condidit arasque statuit relicto ex numero amicorum litoralibus Indis praefecto. Inde iter terrestre facturus, cum arida loca medii itineris dicerentur, puteos opportunis locis fieri jussit, quibus ingenti dulci aqua inventa Babylona redit. Ibi multae devictae gentes praefectos suos accusaverunt, quos sine respectu amicitiae Alexander in conspectu legatorum necari jussit.

[1] „nach“. [2] Prädicatsaccusativ.

25. Hinc ad contionem exercitus vocat et promittit se aes alienum omnium propria impensa soluturum, ut praedam praemiaque integra domos ferant. Insignis haec munificentia fuit nec a debitoribus quam creditoribus gratius excepta, quo-

niam utrisque exactio pariter ac solutio difficilis erat. XX milia talentum in hos sumptus expensa. Dimissis veteranis exercitum junioribus supplet. Sed retenti veteranorum discessum aegre ferentes missionem et ipsi flagitabant nec annos, sed stipendia sua numerari jubebant: nec jam[1] precibus, sed convicio agebant, jubentes eum solum cum patre suo Ammone inire bella, quia milites suos fastidiret. Contra ille nunc castigare milites, nunc lenibus verbis monere, ne gloriosam militiam seditionibus infuscarent. Ad postremum cum verbis nihil proficeret, ad corripiendos seditionis auctores e tribunali in contionem armatam inermis ipse desiluit et nullo prohibente tredecim correptos manu sua ipse ad supplicium duxit.

[1] Gr. § 277 A. 4

26. Inde separatim auxilia Persarum in contione alloquitur. Laudat perpetuam illorum cum in se tum in pristinos reges fidem; sua in illos beneficia commemorat: ut numquam quasi victos, sed veluti victoriae socios habuerit; denique se in illorum, non illos in gentis suae morem transisse. Nunc quoque ait custodiam corporis sui non Macedonibus tantum se, verum et illis crediturum. Atque ita mille ex his juvenes in numerum satellitum legit auxiliorumque portionem formatam in disciplinam Macedonum exercitui suo miscet. Quam rem aegre Macedones tulerunt, jactantes hostes suos in officium suum a rege subjectos. Tunc universi flentes regem adeunt: orant, suppliciis suis potius saturaret se quam contumeliis. Qua modestia obtinuerunt, ut undecim milia militum veteranorum exauctoraret. Sed et ex amicis dimissi senes Polypercon, Clitus, Gorgias, Polydamas, Amadas, Antigenes. Dimissis Craterus praeponitur, jussus praeesse Macedonibus in Antipatri loco, Antipatrumque cum supplemento tironum in locum ejus evocat. Stipendia revertentibus veluti militantibus data.

Dum haec aguntur, unus ex amicis ejus Hephaestion decedit, regi percarus: quem Alexander diu luxit tumulumque ei duodecim milium talentum fecit eumque post mortem coli ut deum jussit.

27. Ab ultimis litoribus Oceani Babylonem revertenti

nuntiatur legationes Carthaginiensium ceterarumque Africae civitatum, sed et Hispaniarum, Siciliae, Galliae, Sardiniae, nonnullas quoque ex Italia adventum ejus Babylone opperiri. Adeo universum terrarum orbem nominis ejus terror invaserat, ut cunctae gentes velut destinato sibi regi adularentur. Hac igitur ex caussa Babylona festinanti, velut conventum terrarum orbis acturo, quidam ex magis praedixit, ne in urbem introiret, testatus hunc locum ei fatalem fore. Ob haec omissā Babylone Borsipam urbem trans Euphraten, desertam olim, concessit. Ibi ab Anaxarcho philosopho compulsus est, ut magorum praedicta contemneret. Reversus igitur Babylona multis diebus otio datis convivium sollemniter instituit: totusque in laetitiam effusus cum diei noctem pervigilem junxisset, recedentem jam e convivio Medius Thessalus instaurata comissatione et ipsum et sodales ejus invitat. Accepto poculo media potione repente velut telo confixus ingemuit elatusque e convivio semianimis tam misere cruciatus est, ut ferrum in remedia posceret tactumque hominum velut vulnera doleret.

28. Quarto die Alexander indubitatam mortem sentiens agnoscere se fatum domus majorum suorum ait: nam plerosque Aeacidarum intra XXX annum mortuos. Tumultuantes deinde milites insidiisque perire regem suspicantes ipse sedavit eosque omnes, cum prolatus in editissimum urbis locum esset, ad conspectum suum admisit osculandamque dextram suam flentibus porrexit. Cum lacrimarent omnes, ipse non sine lacrimis tantum, verum sine ullo tristioris mentis argumento fuit, ut quosdam impatientius dolentes consolaretur, quibusdam mandata ad parentes eorum daret: adeo sicut in hostem, ita et in mortem invictus animus fuit. Dimissis militibus circumstantes amicos percontatur, videanturne similem sibi reperturi regem? Tacentibus cunctis tum ipse, ut hoc nesciat, ita illud scire vaticinarique se ac paene oculis videre dicit, quantum sit in hoc certamine sanguinis fusura Macedonia, quantis caedibus, quo cruore mortuo sibi parentatura. Ad postremum corpus suum in Ammonis templum condi jubet. Cum deficere eum amici viderent, quaerunt, quem imperii faciat heredem. Respondit dignissimum. Hac voce veluti bellicum inter amicos cecinisset aut malum

discordiae[1] misisset, ita omnes in aemulationem consurgunt et ambitione vulgi tacitum favorem militum quaerunt. Sexto die praeclusa voce exemptum digito anulum Perdiccae tradidit, quae res gliscentem amicorum dissensionem sedavit. Nam etsi non voce nuncupatus heres, judicio tamen electus videbatur.

[1] „Apfel der Zwietracht", „Zankapfel". Angespielt ist auf den goldenen Apfel, den Eris, die Göttinn des Zwistes, bei der Hochzeit des Peleus und der Thetis unter die Götter warf. Dieser Apfel veranlaßte den Schönheitsstreit zwischen Juno, Minerva und Venus.

29. Decessit Alexander mense Junio annos tres et XXX natus, vir supra humanam naturam magnitudine animi praeditus. Prodigia magnitudinis ejus ipso ortu nonnulla apparuere. Nam ea die, qua natus est, duae aquilae tota die supra culmen domus patris ejus sederunt, omen duplicis imperii Europae Asiaeque praeferentes. Eadem quoque die nuntium pater ejus duarum victoriarum accepit: altera[1] belli Illyrici, altera certaminis Olympici, in quod quadrigarum currus miserat: quod omen universarum terrarum victoriam infanti portendebat. Puer acerrimis literarum studiis eruditus est. Exacta pueritia per quinquennium sub Aristotele doctore, clarissimo omnium philosophorum, crevit. Accepto deinde imperio regem se terrarum omnium appellari jussit tantamque fiduciam sui militibus fecit, ut illo praesente nullius hostis arma ne inermes quidem timerent. Itaque cum nullo hostium umquam congressus est, quem non vicerit; nullam urbem obsedit, quam non expugnaverit; nullam gentem adiit, quam non subjecerit.

[1] ergänze fuit.

30. Exstincto in ipso aetatis ac victoriarum flore Alexandro magno triste apud omnes tota Babylone silentium fuit. Nec devictae gentes fidem nuntio habuerunt, quod ut invictum regem ita immortalem esse crediderant, recordantes quotiens praesenti morti ereptus esset, quam saepe pro amisso repente se non sospitem tantum suis, verum etiam victorem obtulisset. Ut vero mortis ejus fides adfuit, omnes barbarae gentes paulo ante ab eo devictae non ut hostem, sed ut parentem luxerunt. Mater quoque Darii regis, quam amisso

filio a fastigio tantae majestatis in captivitatem redactam indulgentia victoris in eam diem vitae non poenituerat, audita morte Alexandri mortem sibi ipsa conscivit, non quod[1] hostem filio praeferret, sed quod pietatem filii in eo, quem ut hostem timuerat, experta esset[2].

[1] Gr. § 341 A. 2. [2] Gedanke des Subjects im Hauptsatze.

III. Pyrrhus und die Römer.
(280—275 v. Ch.).

1. Pyrrhus rex Epiri cum iterata Tarentinorum legatione fatigaretur, non tam supplicum precibus quam spe invadendi Italiae imperii inductus venturum se cum exercitu pollicetur. In quam rem inclinatum semel animum praecipitem agere coeperant exempla majorum: ne aut inferior patruo suo Alexandro videretur, quo defensore iidem Tarentini adversus Bruttios usi erant, aut minores animos magno Alexandro habuisse, qui tam longa a domo militia orientem subegit. Igitur relicto custode regni Ptolemaeo filio annos XV nato exercitum in portu Tarentino exponit, duobus parvulis filiis, Alexandro et Heleno, in[1] solatia longinquae secum expeditionis adductis. Cujus audito adventu consul Romanus Valerius Laevinus festinans, ut prius cum eo congrederetur, quam auxilia sociorum convenirent, exercitum in aciem[2] educit. Nec rex, tametsi numero militum inferior erat, certamini moram fecit. Sed Romanos vincentes jam invisitatā ante elephantorum formā stupere primo, mox cedere proelio coëgit, victoresque jam nova Macedonum repente monstra vicerunt. Nec hostibus incruenta victoria fuit. Nam et Pyrrhus ipse graviter vulneratus est et magna pars militum ejus caesa, majoremque gloriam ejus victoriae quam laetitiam habuit. Hujus pugnae eventum multae civitates secutae Pyrrho se tradunt. Inter ceteras etiam Locri prodito praesidio Romano ad Pyrrhum deficiunt. Ex ea praeda Pyrrhus CC captivos milites gratis Romam remisit, ut cognita virtute sua Romani cognoscerent etiam liberalitatem. Interjectis deinde diebus, cum sociorum exercitus supervenisset, iterum proelium cum Romanis facit[3], in quo par fortuna priori bello fuit.

[1] bezeichnet die Absicht. [2] bei Heraclea am Flusse Siris. [3] bei Asculum Apulum.

2. Interea Mago, dux Carthaginiensium, auxilio Romanis cum centum XX navibus missus, senatum adiit, aegre tulisse Carthaginienses affirmans, quod bellum in Italia a peregrino rege paterentur. Ob quam caussam missum se, ut, quoniam ab externo hoste oppugnarentur, externis auxiliis juvarentur. Gratiae a senatu Carthaginiensibus actae auxiliaque remissa. Sed Mago Punico ingenio post paucos dies tacitus, quasi pacificator Carthaginiensium, Pyrrhum adiit speculaturus consilia ejus de Sicilia, quo eum arcessi fama erat. Nam Romanis[1] eadem caussa mittendi auxilia Carthaginiensibus fuerat, ut Romano bello, ne in Siciliam transire posset, Pyrrhus in Italia detineretur. Dum haec aguntur, legatus a senatu Romano Fabricius Luscinus missus pacem cum Pyrrho componit. Ad quam confirmandam Cineas Romam cum ingentibus a Pyrrho donis missus neminem, cujus domus muneribus pateret, invenit. Huic continentiae Romanorum simile exemplum iisdem ferme temporibus fuit. Nam missi a senatu in Aegyptum legati cum ingentia sibi a Ptolemaeo rege missa munera sprevissent, interjectis diebus ad coenam invitatis aureae coronae missae sunt: quas illi ominis caussa receptas postero die statuis regis imposuerunt. Igitur Cineas, cum turbatam cum Romanis pacem ab Appio Claudio renuntiasset, interrogatus a Pyrrho, qualis Roma esset, respondit regum urbem sibi visam. Post haec legati Siculorum superveniunt tradentes Pyrrho totius insulae imperium, quae assiduis Carthaginiensibus bellis vexabatur. Itaque relicto Locris Alexandro filio firmatisque sociorum civitatibus valido praesidio in Siciliam exercitum trajecit.

[1] Dativ, zu mittendi gehörig.

3. Cum Syracusas venisset, rex Siciliae sicut Epiri appellatur. Quarum rerum felicitate laetus Heleno filio Siciliae velut avitum (nam susceptus ex filia Agathoclis regis erat), Alexandro autem Italiae regnum destinat. Post haec multa secunda proelia cum Carthaginiensibus facit. Interjecto deinde tempore legati ab Italicis sociis venere nuntiantes, resisti Romanis non posse, deditionemque futuram, nisi subveniret. Anxius tam ambiguo periculo incertusque, quid ageret vel quibus primum subveniret, in utrumque pronus

consultabat: quippe instantibus hinc Carthaginiensibus, inde Romanis periculosum videbatur exercitum in Italiam non trajicere, periculosius a Sicilia deducere, ne aut illi non lata ope aut hi deserti amitterentur. In hoc aestu periculorum tutissimus portus consiliorum visus est omnibus viribus decernere in Sicilia et profligatis Carthaginiensibus victorem exercitum transponere in Italiam. Itaque conserto proelio cum superior fuisset, quoniam tamen a Sicilia abibat, pro victo fugere visus est, ac propterea socii ab eo defecerunt, et imperium Siciliae tam cito amisit, quam facile quaesierat Nec in Italia meliore felicitate usus in Epirum revertitur.

G. Julius Caesar.

1. Beschreibung Galliens.

Gallia est omnis divisa in partes tres; quarum unam incolunt Belgae, aliam Aquitani, tertiam qui ipsorum lingua Celtae, nostra Galli appellantur. Hi omnes lingua, institutis, legibus inter se[1] differunt. Gallos ab Aquitanis Garumna flumen, a Belgis Matrona et Sequana dividit. Horum omnium fortissimi sunt Belgae, propterea quod a cultu atque humanitate[2] provinciae longissime absunt, minimeque ad eos mercatores saepe commeant atque ea, quae ad effeminandos animos pertinent, important, proximique sunt Germanis, qui trans Rhenum incolunt[3], quibuscum continenter bellum gerunt. Qua de caussa Helvetii quoque reliquos Gallos virtute praecedunt, quod fere quotidianis proeliis cum Germanis contendunt, cum[4] aut suis finibus eos prohibent aut ipsi in eorum finibus bellum gerunt. Eorum[5] una pars, quam Gallos obtinere dictum est[6], initium capit a flumine Rhodano; continetur Garumna flumine, Oceano, finibus Belgarum; attingit etiam ab[7] Sequanis et Helvetiis flumen Rhenum; vergit ad septentriones. Belgae ab extremis Galliae finibus oriuntur, pertinent ad inferiorem partem fluminis Rheni, spectant in septentrionem et orientem solem. Aquitania a Garumna flumine ad Pyrenaeos montes et eam partem Oceani, quae est ad Hispaniam, pertinet, spectat[8] inter occasum solis et septentriones.

[1] „von einander", Gr. § 183, 3. [2] = a culta atque humana provincia. [3] hier intransitiv, „wohnen". [4] Gr. § 345 A. 2. [5] ist auf die drei Hauptvölker Galli, Aquitani, Belgae zu beziehen. [6] Warum die unpersönliche Construction? Gr. § 319, 1. [7] Gr. § 224, 1, b. [8] spectat inter occ. s. et sept., „liegt nordwestlich".

II. Die Sitten der Gallier.

1. In omni Gallia eorum hominum, qui aliquo sunt numero atque honore, genera sunt duo. Nam plebes[1] paene servorum habetur loco[2], quae nihil audet per se[3], nulli adhibetur consilio. Plerique, cum aut aere alieno aut magnitudine tributorum aut injuria potentiorum premuntur, sese in servitutem dicant nobilibus. In hos eadem omnia sunt jura, quae dominis in servos. Sed de[4] his duobus generibus alterum est druidum, alterum equitum. Illi rebus divinis intersunt, sacrificia publica ac privata procurant, religiones interpretantur: ad eos magnus adolescentium numerus disciplinae caussa concurrit, magnoque hi[5] sunt apud eos[6] honore. Nam fere de omnibus controversiis publicis privatisque constituunt et, si quod est admissum facinus, si caedes facta, si de hereditate, si de finibus controversia est, iidem decernunt, praemia poenasque constituunt; si qui aut privatus aut populus eorum decreto non stetit[7], sacrificiis interdicunt. Haec poena apud eos est gravissima. Quibus ita est interdictum, hi numero[2] impiorum ac sceleratorum habentur, his omnes decedunt, aditum sermonemque defugiunt, ne quid ex contagione incommodi accipiant, neque his petentibus jus redditur neque honos ullus communicatur[8]. His autem omnibus druidibus praeest unus, qui summam inter eos habet auctoritatem. Hoc mortuo aut, si qui ex reliquis excellit dignitate, succedit, aut, si sunt plures pares, suffragio druidum, nonnumquam etiam armis de principatu contendunt. Hi certo anni tempore in finibus Carnutum, quae regio totius Galliae media habetur, considunt in loco consecrato. Huc omnes undique, qui controversias habent, conveniunt eorumque decretis judiciisque parent. Disciplina in Britannia reperta atque inde in Galliam translata esse existimatur, et nunc, qui diligentius eam rem cognoscere volunt, plerumque illo[9] discendi caussa proficiscuntur.

[1] Gr. § 53, 2. [2] Gr. § 171 A. 1. [3] Gr. § 182, 3. [4] partitiv. [5] näml. druides. [6] näml. Gallos. [7] Gr. § 208 a A. 3. [8] ergänze: cum iis, vergl. Gr. § 262 (2, die letzten zwei Beispiele). [9] Adv. des Ortes.

2. Druides a bello abesse consuerunt neque tributa una cum reliquis pendunt, militiae vacationem omniumque rerum habent immunitatem. Tantis excitati praemiis et sua sponte multi in disciplinam conveniunt et a parentibus propinquisque mittuntur. Magnum ibi numerum versuum ediscere dicuntur. Itaque annos nonnulli vicenos in disciplina permanent. Neque fas esse existimant ea literis mandare, cum[1] in reliquis fere rebus, publicis privatisque rationibus Graecis literis utantur. Id mihi duabus de caussis instituisse videntur, quod neque in vulgum disciplinam efferri velint neque eos, qui discunt, literis confisos minus memoriae studere; quod[2] fere plerisque accidit, ut[3] praesidio literarum diligentiam in perdiscendo ac memoriam remittant. Inprimis hoc[4] volunt persuadere, non interire animas, sed ab aliis post mortem transire ad alios, atque hoc[5] maxime ad virtutem excitari putant metu mortis neglecto[6]. Multa praeterea de sideribus atque eorum motu, de mundi ac terrarum magnitudine, de rerum natura, de deorum immortalium vi ac potestate disputant et juventuti tradunt.

[1] adversativ, Gr. § 340, 3. [2] ist Relativ. [3] „daß nämlich". [4] pleonastisch, Gr. § 394, 5. [5] durch diesen Glauben. [6] ist caussal aufzulösen, „da die Furcht vor dem Tode fehle", „da dieser Glaube die F. v. d. T. nicht aufkommen lasse".

3. Alterum genus est equitum. Hi, cum est usus atque aliquod bellum incidit[1] (quod fere ante Caesaris adventum quotannis accidere solebat, uti[2] aut ipsi injurias inferrent aut illatas propulsarent), omnes in bello versantur, atque eorum ut[3] quisque est genere copiisque amplissimus, ita plurimos circum se ambactos clientesque habet. Hanc unam gratiam potentiamque noverunt.

[1] Welches Tempus? Gr. § 291 A. 1. [2] „daß nämlich". [3] Gr. § 254.

4. Natio est omnis Gallorum admodum dedita religionibus atque ob eam caussam, qui sunt affecti gravioribus morbis quique in proeliis periculisque versantur, aut pro victimis homines immolant aut se immolaturos vovent administrisque ad ea sacrificia druidibus utuntur, quod, pro vita hominis nisi hominis vita reddatur, non posse deorum immortalium

numen placari arbitrantur, publiceque ejusdem generis habent instituta sacrificia. Alii immani magnitudine simulacra habent, quorum contexta viminibus membra vivis hominibus complent; quibus succensis circumventi flamma exanimantur homines. Supplicia eorum, qui in furto aut in latrocinio aut aliqua noxia sint comprehensi, gratiora dis immortalibus esse arbitrantur; sed cum ejus generis copia defecit[1], etiam ad innocentium supplicia descendunt.

[1] s. zu 3, 1.

5. Deum[1] maxime Mercurium[2] colunt: hujus sunt plurima simulacra; hunc omnium inventorem artium ferunt, hunc viarum atque itinerum ducem, hunc ad quaestus pecuniae mercaturasque habere vim maximam arbitrantur. Post hunc Apollinem et Martem et Jovem et Minervam. De his eandem fere, quam reliquae gentes, habent opinionem: Apollinem morbos depellere, Minervam operum atque artificiorum initia tradere, Jovem imperium coelestium tenere, Martem bella regere. Huic, cum proelio dimicare constituerunt, ea, quae bello ceperint[3], plerumque devovent: cum superaverunt, animalia capta immolant reliquasque res in unum locum conferunt. Multis in civitatibus harum rerum exstructos tumulos locis consecratis conspicari licet; neque saepe accidit, ut neglecta quispiam religione aut capta apud se occultare aut posita tollere auderet, gravissimumque ei rei supplicium cum cruciatu constitutum est.

[1] Accus. („als Gott verehren sie am meisten den M.") oder Genitiv (Gr. § 23), wie Tacit. Germ. 9 sagt: Deorum maxime colunt Mercurium, „unter den Göttern verehren sie am meisten d. M." [2] Über die Bezeichnung der gallischen Götter mit römischen Namen s. Rep. IX. 1. 8. [3] Conj. Perf. als Conj. Fut. exacti, Gr. § 314.

6. Galli se omnes ab Dite patre prognatos praedicant idque ab druidibus proditum dicunt. Ob eam caussam spatia omnis temporis non numero dierum, sed noctium finiunt[1]; dies natales et mensium et annorum initia sic observant, ut noctem dies subsequatur. In reliquis vitae institutis hoc fere[2] ab reliquis differunt, quod suos liberos, nisi cum adoleverunt, ut munus militiae sustinere possint, palam ad se

[1] Gr. § 215. [2] „etwa".

adire non patiuntur filiumque puerili aetate in publico in conspectu patris assistere turpe ducunt.

7. Viri, quantas pecunias ab uxoribus dotis nomine[1] acceperunt, tantas ex suis bonis aestimatione facta cum dotibus communicant. Hujus omnis pecuniae conjunctim ratio habetur fructusque servantur: uter eorum vita superavit, ad eum pars utriusque cum fructibus superiorum temporum pervenit. Viri in uxores, sicuti in liberos, vitae necisque habent potestatem; et cum paterfamiliae illustriore loco natus decessit, ejus propinqui conveniunt et, de morte si res in suspicionem[2] venit, de uxoribus in servilem modum[3] quaestionem habent et, si compertum est, igni atque omnibus tormentis excruciatas interficiunt. Funera sunt pro cultu Gallorum magnifica et sumptuosa; omniaque, quae vivis cordi fuisse arbitrantur, in ignem inferunt, etiam animalia, ac paulo supra[4] hanc memoriam servi et clientes, quos ab iis dilectos esse constabat, justis funeribus confectis una cremabantur.

[1] „als Mitgift", Gr. § 217 A. 1. [2] daß nämlich die Frau am Tode ihres Mannes Schuld habe. [3] Gr. § 230, a, 5, „wie man gegen Sklaven verfährt", d. i. man foltert sie, um die Wahrheit herauszubringen. [4] Gr. § 184.

8. Quae civitates commodius suam rempublicam administrare existimantur, habent[1] legibus sanctum, si[2] quis quid de republica a finitimis rumore aut fama acceperit, uti ad magistratum deferat neve cum quo alio communicet, quod saepe homines temerarios atque imperitos falsis rumoribus terreri et ad facinus impelli et de summis rebus consilium capere cognitum est. Magistratus quae visa sunt occultant, quaeque esse ex[3] usu judicaverunt, multitudini produnt. De republica nisi per[4] concilium loqui non conceditur.

[1] „in ihnen besteht die gesetzliche Bestimmung", Gr. § 291 A. 2. [2] Nebensatz zu deferat. [3] „gemäß", daher ex usu = utilis. [4] „auf dem Wege", „bei Gelegenheit", „in".

III. Die Sitten der Germanen.

1. Germani multum ab hac consuetudine differunt. Nam neque druides habent, qui rebus divinis praesint, neque

sacrificiis student. Deorum numero eos solos ducunt, quos cernunt et quorum aperte opibus juvantur, Solem et Vulcanum et Lunam, reliquos ne fama quidem acceperunt. Vita omnis in venationibus atque in studiis rei militaris consistit: ab parvulis [1] labori ac duritiae student. Qui diutissime impuberes permanserunt, maximam inter suos ferunt laudem: hoc ali staturam, ali vires nervosque confirmari putant.

[1] Gr. § 224.

2. Agriculturae non student, majorque pars eorum victus in lacte, caseo, carne consistit. Neque quisquam agri modum certum aut fines habet proprios; sed magistratus ac principes in [1] annos singulos gentibus cognationibusque hominum, qui una coierunt, quantum et quo loco visum est agri [2] attribuunt atque anno post alio [3] transire cogunt. Ejus rei multas afferunt caussas: ne assidua consuetudine capti studium belli gerendi agricultura commutent [4]; ne latos fines parare studeant, potentioresque humiliores possessionibus expellant; ne accuratius ad frigora atque aestus [5] vitandos aedificent; ne qua oriatur pecuniae cupiditas, qua ex re factiones dissensionesque nascuntur; ut animi aequitate plebem contineant [6], cum [7] suas quisque [8] opes cum potentissimis [9] aequari videat.

[1] Gr. § 230, a, 2. [2] abhängig von quantum, = tantum agri, quantum visum est, et eo loco, quo visum est, attribuunt. [3] Abv. d. Ortes. [4] Gr. § 214 A. 3. [5] Über den Plural Gr. § 151 A. 7. [6] „um das gemeine Volk in Zufriedenheit zu erhalten". Nägelsbach. [7] „dadurch daß", „indem". [8] Über die Stellung von quisque Gr. § 386. [9] kurz ausgedrückt für cum potentissimorum opibus, Gr. § 267 A. 3.

3. Civitatibus maxima laus est quam latissime circum se vastatis finibus solitudines habere. Hoc proprium virtutis [1] existimant, expulsos agris finitimos cedere, neque quemquam prope audere consistere; simul hoc se fore tutiores arbitrantur repentinae incursionis timore sublato. Cum bellum civitas aut illatum defendit aut infert, magistratus, qui ei bello praesint, ut [1] vitae necisque habeant potestatem, deliguntur. In pace nullus est communis magistratus, sed principes regionum atque pagorum inter suos jus dicunt con-

[1] „in der Weise daß", „so daß".

troversiasque minuunt. Latrocinia nullam habent infamiam, quae extra fines cujusque civitatis fiunt, atque ea juventutis exercendae ac desidiae minuendae caussa fieri praedicant. Atque ubi quis ex principibus in concilio dixit se ducem fore, qui sequi velint, profiteantur[2], consurgunt ii, qui et caussam et hominem probant, suumque auxilium pollicentur atque ab multitudine collaudantur: qui ex his secuti non sunt, in desertorum ac proditorum numero ducuntur, omniumque his rerum postea fides derogatur. Hospitem violare fas non putant; qui quacunque[3] de caussa ad eos venerunt, ab injuria prohibent[4], sanctos habent, hisque omnium domus patent victusque communicatur[5].

[2] Gr. § 324, 2. [3] „aus irgend einem Grund, gleichviel aus welchem", kurz statt: qui ad eos venerunt, quacunque de caussa venerunt. [4] Ergänze eos, Gr. § 267 A. 1. [5] s. II. 1. 8.

4. Ac fuit antea tempus, cum Germanos Galli virtute superarent, ultro bella inferrent, propter hominum multitudinem agrique inopiam trans Rhenum colonias mitterent. Itaque ea, quae fertilissima Germaniae sunt, loca circum Hercyniam silvam (quam Eratostheni et quibusdam Graecis fama notam esse video, quam illi Orcyniam appellant), Volcae Tectosages occupaverunt atque ibi consederunt; quae gens ad hoc tempus his sedibus[1] sese continet summamque habet justitiae et bellicae laudis opinionem. Nunc quidem in eadem inopia, egestate patientiaque Germani permanent, eodem victu et cultu corporis utuntur; Gallis autem provinciarum propinquitas et transmarinarum rerum notitia multa ad copiam atque usus largitur: paulatim assuefacti superari[2] multisque victi proeliis ne se quidem ipsi cum illis virtute comparant.

[1] Gr. § 213 A. 2. [2] Über den Inf. Gr. § 189, 2.

IV. Der hercynische Wald.

1. Hercyniae silvae latitudo novem dierum iter expedito[1] patet: non enim aliter finiri potest, neque mensuras itinerum noverunt. Oritur ab Helvetiorum et Nemetum et Rauracorum finibus rectaque fluminis Danubii regione pertinet ad fines Dacorum et Anartium; hinc se flectit sinistror-

[1] = ei, qui sine impedimentis (Gepäck) proficiscitur.

sus diversis ab flumine regionibus multarumque gentium fines propter magnitudinem attingit; neque quisquam est hujus Germaniae, qui se aut adisse ad initium ejus silvae dicat, cum dierum iter LX processerit, aut, quo ex loco oriatur, acceperit: multaque in ea genera ferarum nasci constat, quae reliquis in locis visa non sint; ex quibus quae maxime differant ab ceteris et memoriae prodenda videantur, haec sunt.

2. Est bos cervi figura[1], cujus a media fronte inter aures unum cornu exsistit excelsius magisque directum his, quae nobis nota sunt, cornibus: ab ejus summo[2] sicut palmae ramique late diffunduntur. Eadem est feminae marisque natura, eadem forma magnitudoque cornuum.

[1] Abl. der Beschaffenheit; der Gen. cervi vertritt die Stelle eines Adjectivs, Gr. § 218. [2] Das Neutrum summum ist hier als Substantiv gebraucht.

3. Sunt item quae appellantur[1] alces. Harum est consimilis capris[2] figura et varietas pellium, sed magnitudine paulo antecedunt mutilaeque sunt cornibus et crura sine nodis articulisque habent neque quietis caussa procumbunt neque, si quo afflictae casu conciderunt, erigere sese aut sublevare possunt. His sunt arbores pro cubilibus: ad eas se applicant atque ita paulum modo reclinatae quietem capiunt. Quarum ex vestigiis cum est animadversum a venatoribus, quo se recipere consuerint, omnes eo loco aut ab radicibus subruunt aut accidunt arbores, tantum ut summa species earum stantium relinquatur. Huc cum se consuetudine[3] reclinaverunt, infirmas arbores pondere affligunt atque una ipsae concidunt.

[1] quae appellantur, „die so genannten". [2] brachylogisch für caprarum figurae, vergl. III. 2. 9 [3] „nach ihrer Gewohnheit".

4. Tertium est genus eorum[1], qui uri appellantur. Hi sunt magnitudine paulo infra[2] elephantos, specie et colore et figura tauri. Magna vis eorum est et magna velocitas, neque homini neque ferae, quam conspexerunt, parcunt. Hos studiose foveis captos interficiunt. Hoc se labore durant adolescentes atque hoc genere venationis exercent, et qui plurimos ex his interfecerunt, relatis in publicum cornibus,

[1] „Die dritte Art sind diejenigen", Gr. § 194 A. 3. [2] Gr. § 184.

quae sint testimonio, magnam ferunt laudem. Sed assuescere ad homines et mansuefieri ne parvuli quidem excepti possunt. Amplitudo cornuum et figura et species multum a nostrorum boum cornibus differt. Haec studiose conquisita ab labris[3] argento circumcludunt atque in amplissimis epulis pro poculis utuntur.

[3] „von den Rändern aus", d. i. „an den Rändern".

V. Die Sitten der Sueven.

1. Suevorum gens est longe maxima et bellicosissima Germanorum omnium. Hi centum pagos habere dicuntur, ex quibus quotannis singula milia[1] armatorum bellandi caussa ex finibus educunt. Reliqui, qui domi manserunt, se atque illos alunt[2]. Hi rursus in vicem[3] anno post in armis sunt, illi domi remanent. Sic neque agricultura nec ratio atque usus belli intermittitur. Sed privati ac separati agri apud eos nihil est, neque longius[4] anno[5] remanere uno in loco incolendi caussa licet. Neque multum frumento, sed maximam partem[6] lacte atque pecore vivunt multumque sunt in venationibus; quae res et cibi genere et quotidiana exercitatione et libertate vitae, quod a pueris[7] nullo officio aut disciplina assuefacti[8] nihil omnino contra voluntatem faciant, et vires alit et immani corporum magnitudine[9] homines efficit. Atque in eam se consuetudinem adduxerunt, ut locis frigidissimis neque[10] vestitus praeter pelles haberent quicquam, quarum propter exiguitatem magna est corporis pars aperta, et lavarentur in fluminibus.

[1] wie viele also im Ganzen? [2] durch Ackerbau. [3] Gr. § 230, a, 5. [4] hier = diutius. [5] Gr. § 249. [6] Gr. § 168 A. 2. [7] s. III. 1. a parvulis. [8] Gr. § 189, 2. [9] Abl. der Eigenschaft statt eines prädicativen Adjectivs. [10] neque — et, Gr. § 142. I. A. 4 u. § 363, 3.

2. Mercatoribus est aditus magis eo[1], ut, quae bello ceperint, quibus vendant, habeant[2], quam quo[3] ullam rem ad se importari desiderent. Quin[4] etiam jumentis, quibus

[1] „deßhalb". [2] Gr. § 360, d; construire: ut habeant, quibus vendant, quae bello ceperint. [3] Die gewöhnliche Darstellungsweise verlangt: non quo — desiderent, sed ut — habeant, Gr. § 341 A. 2. [4] Gr. § 337 A. 3.

maxime Galli delectantur quaeque impenso parant pretio, Germani importatis non utuntur, sed quae sunt apud eos nata, parva atque deformia, haec quotidiana exercitatione summi ut sint laboris efficiunt. Equestribus proeliis saepe ex equis desiliunt ac pedibus[5] proeliantur, equosque eodem remanere vestigio assuefecerunt, ad quos se celeriter, cum usus est, recipiunt; neque eorum moribus[6] turpius quicquam aut inertius habetur quam ephippiis uti. Itaque ad quemvis numerum ephippiatorum equitum quamvis[7] pauci adire audent. Vinum ad se omnino importari non sinunt, quod ea re ad laborem ferendum remollescere homines atque effeminari arbitrantur.

[5] „zu Fuße". [6] Gr. § 208a A. 2. [7] Gr. § 340, 3 A. 1.

3. Publice maximam putant esse laudem quam latissime a suis finibus vacare agros: hac re significari magnum numerum civitatum suam vim sustinere non posse. Itaque una ex parte a Suevis[1] circiter milia passuum sexcenta agri[2] vacare dicuntur. Ad alteram partem succedunt Ubii, quorum fuit civitas ampla atque florens, ut[3] est captus Germanorum, et paulo sunt ejusdem generis ceteris humaniores, propterea quod Rhenum attingunt multumque ad eos mercatores ventitant et ipsi propter propinquitatem Gallicis sunt moribus assuefacti. Hos cum Suevi multis saepe bellis experti propter amplitudinem gravitatemque civitatis finibus expellere non potuissent, tamen vectigales sibi fecerunt ac multo humiliores infirmioresque redegerunt.

[1] gehört zu milia passuum sexcenta. [2] Genitiv. [3] Gr. § 350, 1 A. 1.

VI. Kampf mit den Alpenvölkern im J. 56 vor Chr.

1. Cum in Italiam proficisceretur Caesar, Servium Galbam cum legione duodecima et parte equitatus in Nantuates[1], Veragros Sedunosque misit, qui ab finibus Allobrogum et lacu Lemanno et flumine Rhodano ad summas Alpes[2] pertinent. Caussa mittendi fuit, quod iter[3] per Alpes, quo

[1] Das Volk statt des Landes, Gr. § 158. [2] „Alpenkamm", = Kap. 2. culmina Alpium. [3] Der Weg über den großen Bernhard in das Wallis und an den Genfersee.

magno cum[4] periculo magnisque cum portoriis mercatores ire consuerant, patefieri volebat. Huic permisit, si opus esse arbitraretur, uti in his locis legionem hiemandi caussa collocaret. Galba secundis aliquot proeliis factis castellisque compluribus eorum expugnatis[5] missis ad eum undique legatis obsidibusque datis et pace facta constituit cohortes duas in Nantuatibus collocare et ipse cum reliquis[6] ejus legionis cohortibus in vico Veragrorum, qui appellatur Octodurus, hiemare; qui vicus positus in valle non magna adjecta planitie altissimis montibus undique continetur. Cum hic in duas partes flumine divideretur, alteram partem ejus vici Gallis ad hiemandum concessit, alteram vacuam ab his relictam cohortibus attribuit. Eum locum vallo fossaque munivit.

[4] „nicht ohne", Gr. § 229, 2. [5] Diese zwei absolut. Abl. enthalten den Grund zu den folgenden. [6] Eine Legion hatte zehn Cohorten.

2. Cum dies hibernorum complures transissent, frumentumque eo comportari jussisset, subito per exploratores certior factus est ex ea parte vici, quam Gallis concesserat, omnes noctu discessisse, montesque, qui impenderent, a maxima multitudine Sedunorum et Veragrorum teneri. Id aliquot de caussis acciderat, ut[1] subito Galli belli renovandi legionisque opprimendae consilium caperent: primum, quod legionem neque[2] eam plenissimam detractis cohortibus duabus et compluribus singillatim[3], qui commeatus petendi caussa missi erant, propter paucitatem despiciebant; tum etiam, quod propter iniquitatem loci, cum ipsi ex montibus in vallem decurrerent[4] et tela conjicerent, ne primum quidem posse impetum suum sustineri existimabant. Accedebat, quod[5] suos ab se liberos abstractos obsidum nomine[6] dolebant, et Romanos non solum itinerum caussa, sed etiam perpetuae possessionis culmina Alpium occupare conari et ea loca finitimae provinciae adjungere[7] sibi persuasum habebant[8].

[1] „daß nämlich". [2] „die noch dazu nicht sehr vollständig war"; über eam Gr. § 267 A. 4. [3] „mehrere einzeln", also Adv. statt Adj. [4] direct: cum decurremus; posse vertritt den Infinitiv Fut. [5] Gr. § 342, 2. [6] „als Geißeln", Gr. § 217 A. 1. [7] „einverleiben", nämlich conari. [8] sibi persuasum habere „überzeugt sein" findet sich in der mustergültigen Latinität bloß hier.

3. His nuntiis acceptis Galba, cum neque opus hiber-

norum munitionesque plene essent perfectae, neque de frumento reliquoque commeatu satis esset provisum[1], quod deditione facta obsidibusque acceptis nihil de bello timendum existimaverat, consilio[2] celeriter convocato sententias exquirere coepit. Quo in consilio, cum tantum repentini periculi praeter[3] opinionem accidisset ac jam omnia fere superiora loca multitudine armatorum completa conspicerentur, neque subsidio veniri neque commeatus supportari interclusis itineribus possent, prope jam desperata[4] salute nonnullae hujusmodi sententiae dicebantur, ut impedimentis relictis eruptione facta iisdem itineribus[5], quibus eo pervenissent, ad salutem contenderent. Majori tamen parti placuit hoc reservato ad extremum consilio interim rei eventum experiri et castra defendere.

[1] providere steht hier absolut, d. h. ohne Object (Vorsorge treffen), daher de (in Hinsicht). [2] Der Kriegsrath (consilium) bestand gewöhnlich aus den anwesenden Personen vom Senatorenstande, den Legaten, den Tribunen und den sechs ersten Centurionen. [3] Gr. § 181, 2. [4] Gr. § 189, 1. [5] Gr. § 158 A. 1.

4. Brevi spatio interjecto, vix[1] ut iis rebus, quas constituissent, collocandis atque administrandis tempus daretur, hostes ex omnibus partibus signo dato decurrere[2], lapides gaesaque in vallum conjicere. Nostri primo integris viribus fortiter repugnare neque ullum frustra telum ex loco superiore[3] mittere, ut quaeque[4] pars castrorum nudata defensoribus premi videbatur, eo occurrere et auxilium ferre, sed hoc superari, quod diuturnitate pugnae hostes defessi proelio excedebant, alii integris viribus succedebant; quarum rerum[5] a nostris propter paucitatem fieri nihil poterat, ac non modo[6] defesso ex pugna excedendi, sed ne saucio quidem ejus loci, ubi constiterat, relinquendi ac sui recipiendi facultas dabatur.

[1] Über die Stellung von vix Gr. § 390. [2] histor. Inf. [3] von dem am Ende des 1. Kap. erwähnten Walle; die Feinde waren bereits in das Thal herabgekommen. [4] „jedesmal wenn“, „so oft ein Theil“, Gr. § 273. [5] „dergleichen“. [6] Gr. § 363, 7.

5. Cum jam amplius[1] horis sex continenter pugnaretur ac non solum vires, sed etiam tela nostros deficerent, atque hostes acrius instarent languidioribusque nostris[2] vallum

[1] Gr. § 249. [2] absol. Abl.

scindere[3] et fossas complere coepissent, resque esset jam ad extremum perducta casum, P. Sextius Baculus, primi pili centurio, quem Nervico proelio compluribus confectum vulneribus diximus, et item Gajus Volusenus, tribunus militum, vir et consilii magni et virtutis, ad Galbam accurrunt atque unam esse spem salutis docent, si eruptione facta extremum auxilium experirentur. Itaque convocatis centurionibus celeriter milites certiores facit, paulisper intermitterent[4] proelium ac tantummodo tela missa exciperent seque ex labore reficerent, post dato signo ex castris erumperent atque omnem spem salutis in virtute ponerent.

[3] durch Herausreißen der Pallisaden, um einen Weg zu öffnen. [4] ohne ut, „sie sollten aussetzen", Gr. § 324, 2.

6. Quod jussi sunt, faciunt ac subito omnibus portis eruptione facta neque cognoscendi, quid fieret, neque sui colligendi[1] hostibus facultatem relinquunt. Ita commutata fortuna eos, qui in spem potiundorum[2] castrorum venerant, undique circumventos interficiunt et ex hominum milibus amplius triginta, quem numerum barbarorum ad castra venisse constabat, plus tertia parte interfecta reliquos perterritos in fugam conjiciunt ac ne in locis quidem superioribus consistere patiuntur. Sic omnibus hostium copiis fusis armisque[3] exutis se in castra munitionesque suas recipiunt. Quo proelio facto, quod saepius fortunam temptare Galba nolebat atque alio se in hiberna consilio venisse meminerat, aliis occurrisse rebus viderat, maxime frumenti commeatusque inopia permotus postero die omnibus ejus vici aedificiis incensis in provinciam reverti contendit ac nullo hoste prohibente aut iter demorante incolumem legionem in Nantuates, inde in Allobroges perduxit ibique hiemavit.

[1] Gr. § 240 A. 1. [2] Gr. § 239 A. [3] armis hängt von exutis ab, Gr. § 219.

M. Tullius Cicero.

1. Lacedaemonius quidam, cujus ne nomen quidem proditum est, mortem tanto opere contempsit, ut, cum ad eam duceretur damnatus ab ephoris et esset vultu hilari atque laeto, dixissetque ei quidam inimicus: „Contemnisne leges Lycurgi?“, responderit: „Ego vero illi maximam gratiam habeo, qui me ea poena multaverit[1], quam sine mutuatione et sine versura possem[1] dissolvere.“ O virum Sparta dignum! Tales innumerabiles nostra civitas tulit. Sed quid[2] duces et principes nominem[3], cum legiones scribat Cato saepe alacres in eum locum profectas, unde redituras se non arbitrarentur? Pari animo Lacedaemonii in Thermopylis occiderunt, in[4] quos Simonides[5]:

Dic, hospes, Spartae nos te hic vidisse jacentes,
Dum sanctis patriae legibus obsequimur:

e quibus unus, cum Perses hostis in colloquio dixisset glorians: „Solem prae[6] jaculorum multitudine et sagittarum non videbitis“, „In umbra igitur, inquit, pugnabimus.“ Viros commemoro: qualis tandem Lacaena? quae cum filium in proelium misisset et interfectum audisset: „Idcirco, inquit, genueram, ut esset qui pro patria morte non dubitaret[7] occumbere.“

Esto[8], fortes et duri Spartiatae, magnam habet vim reipublicae disciplina. Quid?[9] Cyrenaeum Theodorum, philosophum non ignobilem, nonne miramur? cui cum Lysimachus rex crucem minaretur: „Istis quaeso, inquit, ista horribilia minitare purpuratis tuis: Theodori quidem[10] nihil interest, humine an sublime[11] putescat.“ Cujus hoc dicto admoneor,

[1] Warum Conjunctiv? [2] Gr. § 279 A. 2. [3] Gr. § 304. [4] Gr. § 230, a, 4. [5] näml. scripsit. [6] Gr. § 227. [7] Gr. § 337 A. 2. [8] Gr. § 307 A. [9] Gr. § 395 A. [10] wird hier durch Betonung des hervorgehobenen Wortes ausgedrückt. [11] Gr. § 133 A. 1.

ut aliquid etiam de humatione et sepultura dicendum existimem. De qua Socrates quidem quid senserit, apparet in eo libro, in quo moritur[12]. Cum enim de immortalitate animorum disputavisset et jam moriendi tempus urgeret, rogatus a Critone, quemadmodum sepeliri vellet: „Multam vero, inquit, operam, amici, frustra consumpsi; Critoni enim nostro non persuasi me hinc avolaturum neque mei quicquam relicturum. Verum tamen, Crito, si me assequi potueris aut sicubi[13] nanctus eris, ut tibi videbitur[14], sepelito. Sed, mihi crede[15], nemo me vestrum, cum hinc excessero, consequetur." Praeclare id quidem[16], qui et amico permiserit[17] et se ostenderit de hoc toto genere nihil laborare[18].

[12] „sterbend dargestellt wird", näml. in Platons Phädon. [13] Gr. § 138, 2 A. [14] Gr. § 319, 2 A. [15] Gr. § 391. [16] Gr. § 395, 2, b. [17] Gr. § 361. [18] Gr. § 208a A. 4.

2. Argiae sacerdotis Cleobis et Biton filii praedicantur. Nota fabula est. Cum enim illam ad solemne et statum sacrificium curru[1] vehi jus esset, satis longe ab oppido ad fanum, morarenturque jumenta, tum juvenes ii, quos modo nominavi, veste posita corpora oleo perunxerunt, ad jugum accesserunt. Ita sacerdos advecta in fanum, cum currus esset ductus a filiis, precata a dea dicitur, ut illis praemium daret pro pietate, quod maximum homini dari posset a deo; post epulatos cum matre adolescentes somno se dedisse, mane inventos esse mortuos. Simili precatione Trophonius et Agamedes usi dicuntur, qui cum Apollini Delphis templum exaedificavissent, venerantes deum petiverunt mercedem non parvam quidem operis et laboris sui, nihil certi, sed quod esset optimum homini. Quibus Apollo se id daturum ostendit post ejus diei[2] diem tertium: qui ut illuxit, mortui sunt reperti.

[1] Gr. § 213 A. 2. [2] Vergl. postridie ejus diei, Gr. § 394, 1.

3. Socrates, cum esset ex eo quaesitum, Archelaum, Perdiccae filium, qui tum fortunatissimus haberetur, nonne[1] beatum putaret: Haud scio, inquit; nunquam enim cum eo collocutus sum. — An tu aliter id scire non potes? — Nullo modo. — Tu igitur ne de Persarum quidem rege

[1] Gr. § 282.

magno potes dicere, beatusne sit. — An ego possim, cum ignorem, quam sit doctus, quam vir bonus? — Quid?[2] tu in eo[3] sitam vitam beatam putas? — Ita prorsus existimo, bonos beatos, improbos miseros. — Miser ergo Archelaus? — Certe, si injustus.

[2] Gr. § 395 A. [3] i. e. in doctrina et virtute.

4. Hannibalem Caelius scribit, cum columnam auream, quae esset in fano Junonis Laciniae, auferre vellet dubitaretque, utrum ea solida esset an extrinsecus inaurata, perterebravisse, cumque solidam invenisset, statuisse tollere; ei secundum quietem[1] visam esse Iunonem praedicere, ne id faceret, minarique, si fecisset, se curaturam, ut eum quoque oculum, quo bene videret, amitteret, idque ab homine acuto non esse neglectum. Itaque ex eo auro, quod exterebratum esset, buculam curasse faciendam[2] et eam in summa[3] columna collocavisse.

Hoc[4] item in Sileni, quem Caelius sequitur, Graeca historia est; is autem diligentissime res Hannibalis persecutus est: Hannibalem, cum cepisset Saguntum, visum esse in somnis a Jove in deorum concilium vocari: quo cum venisset, Jovem imperavisse, ut Italiae bellum inferret ducemque ei unum e concilio datum, quo illum utentem cum exercitu progredi coepisse[5]: tum ei ducem illum praecepisse, ne respiceret, illum autem id diutius facere non potuisse elatumque cupiditate[6] respexisse: tum visam beluam vastam et immanem circumplicatam serpentibus, quacunque[7] incederet, omnia arbusta, virgulta, tecta pervertere, et eum admiratum quaesisse de deo, quodnam illud esset tale monstrum: et deum respondisse Vastitatem esse Italiae praecepisseque, ut pergeret protinus; quid retro atque a tergo[8] fieret, ne laboraret.

Apud Agathoclem scriptum in historia est Hamilcarem Carthaginiensem, cum oppugnaret Syracusas, visum esse audire vocem se postridie coenaturum Syracusis: cum autem is dies illuxisset, magnam seditionem in castris ejus inter Poe-

[1] „im Traume", häufiger ist in somnis, in quiete. [2] Gr. § 377, 2. [3] Gr. § 247, 2. [4] „Folgendes", Gr. § 266. [5] Über d. Infinitivsatz Gr. § 324 A. 3. [6] „aus Neugierde", Gr. § 208a A. 1. [7] Gr. § 138, 1, d. [8] Gr. § 224, 1, b.

nos et Siculos milites esse factam: quod cum sensissent Syracusani, improviso eos in castra irrupisse, Hamilcaremque ab iis vivum esse sublatum. Ita res somnium comprobavit. Plena exemplorum est historia, tum referta vita communis. Sed veniamus[9] nunc ad somnia philosophorum.

Est apud Platonem Socrates, cum esset in custodia publica, dicens Critoni suo familiari sibi post tertium diem esse moriendum: vidisse se in somnis pulchritudine eximia feminam, quae se nomine appellans diceret Homericum quendam ejusmodi versum:

Tertia die Phthiae[10] tempestas laeta locabit.

Quod, ut est dictum, sic scribitur contigisse. Xenophon Socraticus — qui vir et quantus! — in ea militia, qua cum Cyro minore perfunctus est, sua scribit somnia, quorum eventus mirabiles exstiterunt. Mentiri Xenophontem an delirare dicemus?

Quid? singulari vir ingenio Aristoteles et paene divino ipsene errat an alios vult errare, cum scribit Eudemum Cyprium, familiarem suum, iter in Macedoniam facientem Pheras venisse, quae erat urbs in Thessalia tum admodum nobilis, ab Alexandro autem tyranno crudeli dominatu tenebatur: in eo igitur oppido ita graviter aegrum Eudemum fuisse, ut omnes medici diffiderent: ei visum in quiete egregia facie juvenem dicere, fore[11] ut perbrevi convalesceret, paucisque diebus[12] interiturum Alexandrum tyrannum, ipsum autem Eudemum quinquennio post domum esse rediturum. Atque ita quidem prima statim scribit Aristoteles consecuta, et convaluisse Eudemum et ab uxoris fratribus interfectum tyrannum: quinto autem anno exeunte, cum esset spes ex illo somnio, in Cyprum illum ex Sicilia esse rediturum, proeliantem eum ad Syracusas occidisse: ex quo ita illud somnium esse interpretatum[13], ut, cum animus Eudemi e corpore excesserit, tum domum revertisse videatur.

Adjungamus[9] philosophis doctissimum hominem, poëtam quidem divinum, Sophoclem: qui, cum ex aede Herculis patera aurea gravis surrepta esset, in somnis vidit ipsum deum dicentem, qui id fecisset. Quod semel ille iterumque

[9] Erhortativ. [10] weil locare ein Verb der Ruhe ist, Gr. § 158 A. 3. [11] Gr. § 317 A. 1. [12] Gr. § 162. [13] passivisch, Gr. § 109, 7 u. § 288.

neglexit. Ubi idem saepius, ascendit in Areopagum, detulit rem. Areopagitae comprehendi jubent eum, qui a Sophocle erat nominatus. Is quaestione adhibita confessus est pateramque rettulit. Quo facto[14] fanum illud Indicis Herculis nominatum est.

Quid? illa duo somnia, quae creberrime commemorantur a Stoicis, quis tandem potest contemnere? Unum de Simonide: qui cum ignotum quendam projectum mortuum vidisset eumque humavisset haberetque in animo navem conscendere, moneri visus est, ne id faceret, ab eo, quem sepultura affecerat; si navigavisset, eum naufragio esse periturum: itaque Simonidem redisse, perisse ceteros, qui tum navigavissent. Alterum ita traditum, clarum admodum somnium. Cum duo quidam Arcades familiares iter una facerent et Megaram venissent, alterum ad cauponem devertisse, ad hospitem alterum. Qui ut coenati quiescerent, concubia nocte visum esse in somnis ei, qui erat in hospitio, illum alterum orare, ut subveniret, quod sibi a caupone interitus pararetur: eum primo perterritum somnio surrexisse, dein cum se collegisset idque visum pro nihilo habendum esse duxisset, recubuisse: tum ei dormienti eundem illum visum esse rogare, ut, quoniam sibi vivo non subvenisset, mortem suam ne inultam esse pateretur: se interfectum in plaustrum a caupone esse conjectum et supra[15] stercus injectum; petere, ut mane ad portam adesset, priusquam plaustrum ex oppido exiret. Hoc vero eum somnio commotum mane bubulco praesto ad portam fuisse, quaesisse ex eo, quid esset in plaustro: illum perterritum fugisse, mortuum erutum esse, cauponem re patefacta poenas dedisse.

[14] Gr. § 362. [15] Adverb.

5. Copiose a Xenophonte agricultura laudatur in eo libro, qui est de tuenda re familiari[1], qui Oeconomicus inscribitur. Atque ut intelligatis nihil ei tam regale videri quam studium agri colendi[2], Socrates in eo libro loquitur cum Critobulo: Cyrum minorem, Persarum regem, praestantem ingenio atque imperii gloria, cum Lysander Lacedaemonius, vir

[1] „in dem Buche vom guten Hauswesen", Gr. § 233, 3. [2] Ergänze: „so sage ich", „so höret", Gr. § 395, 2, e.

summae virtutis, venisset ad eum Sardes eique dona a sociis attulisset, et ceteris in rebus comem erga Lysandrum atque humanum fuisse et ei quendam conseptum agrum diligenter consitum ostendisse. Cum autem admiraretur Lysander et proceritates arborum et directos in quincuncem ordines et humum subactam atque puram et suavitatem odorum, qui afflarentur ex floribus, tum eum dixisse mirari se non modo diligentiam, sed etiam sollertiam ejus, a quo essent illa dimensa[3] atque descripta, et Cyrum respondisse: „Atqui ego ista sum omnia dimensus; mei sunt ordines, mea descriptio, multae etiam istarum arborum mea manu sunt satae.“ Tum Lysandrum intuentem purpuram ejus et nitorem corporis ornatumque Persicum multo auro[4] multisque gemmis dixisse: „Recte vero te, Cyre, beatum ferunt, quoniam virtuti tuae fortuna conjuncta est.“

[3] passivisch, Gr. § 288. [4] Abl. der Beschaffenheit.

6. Lysandrum Lacedaemonium, cujus modo feci mentionem, dicere ajunt solitum[1] Lacedaemonem esse honestissimum domicilium senectutis: nusquam enim tantum tribuitur aetati, nusquam est senectus honoratior. Quin[2] etiam memoriae proditum est, cum Athenis ludis[3] quidam in theatrum grandis natu[4] venisset, magno consessu[5] locum nusquam ei datum a suis civibus: cum autem ad Lacedaemonios accessisset, qui, legati cum essent, certo in loco consederant, consurrexisse omnes illi dicuntur et senem sessum[6] recepisse. Quibus cum a cuncto consessu plausus esset multiplex datus, dixisse ex iis quendam: Athenienses scire, quae recta essent, sed facere nolle.

[1] = „oft“, Gr. § 236 A. 2. [2] Gr. § 337 A. 3. [3] Gr. § 161 A. 1. [4] Gr. § 211 A. [5] absol. Abl. [6] Supin.

7. Aratus Sicyonius jure laudatur, qui, cum ejus civitas quinquaginta annos a tyrannis teneretur, profectus Argis Sicyonem clandestino introitu urbe est potitus, cumque tyrannum Nicoclem improviso oppressisset, sexcentos exsules, qui locupletissimi fuerant ejus civitatis, restituit remque publicam adventu suo liberavit. Sed cum magnam animadverteret in bonis et possessionibus difficultatem, quod et eos,

quos ipse restituerat, quorum bona alii possederant[1], egere iniquissimum esse arbitrabatur et quinquaginta annorum[2] possessiones moveri non nimis aequum putabat, propterea quod tam longo spatio multa hereditatibus, multa emptionibus, multa dotibus tenebantur sine injuria, judicavit neque illis[3] adimi nec iis non satisfieri, quorum illa fuerant, oportere. Cum igitur statuisset opus esse ad eam rem constituendam pecunia, Alexandriam se proficisci velle dixit remque integram ad reditum suum jussit esse, isque celeriter ad Ptolemaeum suum hospitem venit, qui tum regnabat alter post Alexandriam conditam. Cui cum exposuisset patriam se liberare velle caussamque docuisset, a rege opulento vir summus facile impetravit, ut grandi pecunia adjuvaretur. Quam cum Sicyonem attulisset, adhibuit sibi in consilium quindecim principes, cum quibus caussas cognovit et eorum, qui aliena tenebant, et eorum, qui sua amiserant, perfecitque aestimandis possessionibus, ut persuaderet aliis, ut pecuniam accipere mallent, possessionibus cederent, aliis, ut commodius putarent numerari sibi, quod tanti esset, quam suum recuperare. Ita perfectum est, ut omnes concordia constituta sine querela discederent.

[1] von possīdo. [2] Gen. zur Bezeichnung der Dauer, Gr. § 196.
[3] d. i. denen, die die Güter der früher Verbannten besaßen.

8. P. Scipionem, eum, qui primus Africanus appellatus est, dicere solitum scripsit Cato, qui fuit ejus fere aequalis, nunquam se minus otiosum esse quam cum otiosus, nec minus solum quam cum solus esset. Magnifica vero vox et magno viro ac sapiente digna: quae declarat illum et in otio de negotiis cogitare et in solitudine secum loqui solitum, ut neque cessaret unquam et interdum colloquio alterius non egeret. Ita duae res, quae languorem afferunt ceteris, illum acuebant, otium et solitudo.

9. Athenienses cum Persarum impetum nullo modo possent sustinere statuerentque, ut urbe relicta, conjugibus et liberis Troezene depositis, naves conscenderent libertatemque Graeciae classe defenderent, Cyrsilum quendam suadentem, ut in urbe manerent Xerxemque reciperent, lapidibus obruerunt.

Themistocles post victoriam ejus belli, quod cum Persis fuit, dixit in contione se habere consilium reipublicae salutare, sed id sciri non opus esse: postulavit, ut aliquem populus daret, quicum[1] communicaret; datus est Aristides. Huic ille, classem Lacedaemoniorum, quae subducta esset ad Gytheum, clam incendi posse, quo facto frangi Lacedaemoniorum opes necesse esset. Quod Aristides cum audisset, in contionem magna exspectatione venit dixitque perutile esse consilium, quod Themistocles afferret, sed minime honestum. Itaque Athenienses, quod honestum non esset, id ne utile quidem putaverunt totamque eam rem, quam ne audierant quidem, auctore[2] Aristide repudiaverunt.

[1] Gr. § 79 A. [2] Gr. § 373.

10. G. Canius eques Romanus, nec[1] infacetus et satis literatus, cum se Syracusas otiandi, ut ipse dicere solebat, non negotiandi caussa contulisset, dictitabat se hortulos aliquos emere velle, quo[2] invitare amicos et ubi se oblectare sine interpellatoribus posset. Quod cum percrebruisset, Pythius ei quidam[3], qui argentariam faceret[4] Syracusis, venales quidem se hortos non habere, sed licere uti[5] Canio, si vellet, ut suis, et simul ad coenam hominem in hortos invitavit in[6] posterum diem. Cum ille promisisset, tum Pythius, qui esset ut argentarius apud omnes ordines gratiosus, piscatores ad se convocavit et ab iis petivit, ut ante suos hortulos postridie piscarentur, dixitque, quid eos facere vellet. Ad coenam tempore[7] venit Canius: opipare a Pythio apparatum[8] convivium, cumbarum ante oculos multitudo; pro se quisque, quod ceperat, afferebat; ante pedes Pythii pisces abjiciebantur. Tum Canius: „Quaeso, inquit, quid est hoc, Pythi? tantumne piscium? tantumne cumbarum?“ Et ille: „Quid mirum? inquit, hoc loco est Syracusis quidquid est piscium, hic aquatio; hac villa isti carere non possunt.“ Incensus Canius cupiditate contendit a Pythio, ut venderet. Gravate[9] ille primo. Quid multa?[10] impetrat. Emit homo

[1] nec — et, Gr. § 142, 1 A. 4 u. § 363, 3. [2] Adv. des Ortes. [3] dixit ist zu ergänzen. [4] Der Conjunctiv deutet an, daß er ein habsüchtiger Banquier war. [5] näml. illis. [6] Gr. § 230, a, 2. [7] Gr. § 161 A. 2. [8] näml. erat. [9] Ergänze respondet oder agit. [10] Gr. § 395 A.

cupidus et locuples tanti, quanti Pythius voluit, et emit[11] instructos. Nomina facit, negotium conficit. Invitat Canius postridie familiares suos, venit ipse mature, scalmum nullum videt. Quaerit ex proximo vicino, num feriae quaedam piscatorum essent, quod eos nullos videret. „Nullae, quod sciam[12], inquit, sed hic piscari nulli solent. Itaque heri mirabar, quid accidisset.“ Stomachari Canius, sed quid faceret? [13]

[11] „und zwar“, dafür könnte es auch eosque heißen. [12] Gr. § 360, e A. 2. [13] Gr. § 304.

11. L. Manlio A. f., cum dictator fuisset, M. Pomponius tribunus pl. diem dixit, quod is paucos sibi dies ad dictaturam gerendam addidisset; criminabatur etiam, quod Titum filium, qui postea est Torquatus appellatus, ab hominibus relegasset et ruri habitare jussisset. Quod cum audivisset adolescens filius, negotium exhiberi[1] patri, accurrisse Romam et cum prima luce Pomponii domum[2] venisse dicitur. Cui cum esset nuntiatum, qui[3] illum iratum allaturum ad se aliquid contra patrem arbitraretur, surrexit e lectulo remotisque arbitris ad se adolescentem jussit venire. At ille, ut ingressus est, confestim gladium destrinxit juravitque se illum statim interfecturum, nisi jusjurandum sibi dedisset se patrem missum[4] esse facturum. Juravit hoc terrore coactus Pomponius: rem ad populum detulit, docuit, cur sibi caussa desistere necesse esset, Manlium missum fecit. Tantum temporibus illis jusjurandum valebat.

[1] „daß nämlich“. [2] Gr. § 160 A. 1. [3] Nebensatz zu surrexit; über den Conjunctiv Gr. § 361. [4] Gr. § 377, 3 A.

12. Bello illo maximo, quod Athenienses et Lacedaemonii summa inter se contentione gesserunt, Pericles ille, et auctoritate et eloquentia et consilio princeps civitatis suae, cum obscurato sole tenebrae factae essent repente Atheniensiumque animos summus timor occupavisset, docuisse cives suos dicitur, id quod[1] ipse ab Anaxagora, cujus auditor fuerat, acceperat, certo illud tempore fieri et necessario, cum tota se luna sub orbem solis subjecisset: itaque etsi non omni intermenstruo, tamen id fieri non posse nisi[2] intermenstruo tempore. Quod cum disputando rationibusque do-

[1] Gr. § 353. [2] Gr. § 338 A. 5.

cuisset, populum liberavit metu; erat enim tum haec nova et ignota ratio, solem lunae oppositu solere deficere, quod Thaletem Milesium primum vidisse dicunt.

13. In itinere quidam proficiscentem ad mercatum quendam et secum aliquantum numorum ferentem est consecutus. Cum hoc, ut fere fit, in via sermonem contulit; ex quo factum est, ut illud iter familiarius facere vellent. Quare cum in eandem tabernam devertissent[1], simul coenare et in eodem loco somnum capere voluerunt. Coenati discubuerunt ibidem. Caupo autem (nam ita dicitur post inventum, cum in alio maleficio deprehensus esset) cum illum alterum, videlicet qui numos haberet, animum advertisset, noctu postquam illos artius jam, ut fit, ex lassitudine dormire sensit, accessit et alterius eorum, qui sine numis erat, gladium propter appositum e vagina eduxit et illum alterum occidit, numos abstulit, gladium cruentatum in vaginam recondidit, ipse se in suum lectulum recepit. Ille autem, cujus gladio occisio erat facta, multo[2] ante lucem surrexit, comitem illum suum inclamavit semel et saepius. Illum somno impeditum non respondere existimavit; ipse gladium et cetera, quae secum attulerat, sustulit, solus profectus est. Caupo non multo post conclamat hominem esse occisum et cum quibusdam deversoribus illum, qui ante exierat, consequitur. In itinere hominem comprehendit, gladium ejus e vagina educit, reperit cruentatum; homo in urbem ab illis deducitur ac reus fit. Quaestio est, occideritne.

[1] Gr. § 158 A. 2. [2] Gr. § 163 A. 2.

14. Lex est: Qui in adversa tempestate navem reliquerint, omnia amittunto[1]; eorum navis et onera sunto, qui in nave remanserint. Duo quidam, cum jam in alto navigarent, et cum eorum alterius[2] navis, alterius onus esset, naufragum quendam natantem[3] et manus ad se tendentem animum adverterunt; misericordia commoti navem ad eum applicarunt; hominem ad se sustulerunt. Postea aliquanto[4] ipsos quoque tempestas vehementius jactare coepit, usque adeo, ut dominus navis, cum idem gubernator esset, in scapham confugeret

[1] Gr. § 307. [2] Über den Gen. Gr. § 205. [3] Gr. § 377, 1. [4] = aliquanto post.

et inde funiculo, qui a puppi religatus scapham annexam trahebat, navi, quoad posset, moderaretur; ille autem, cujus merces erant, in gladium ibidem incumberet. Hic ille naufragus ad gubernaculum accessit et navi, quoad potuit, est opitulatus. Sedatis autem fluctibus et tempestate jam commutata navis in portum pervehitur. Ille autem, qui in gladium incubuerat, leviter saucius facile ex vulnere est recreatus. Navem cum onere horum trium suam quisque esse dicit. Hic est controversia, cujus sit navis.

15. In Demosthene tantum studium fuisse tantusque labor dicitur, ut primum impedimenta naturae diligentia industriaque superaret; cumque ita balbus esset, ut ejus ipsius artis, cui studeret, primam literam non posset dicere, perfecit meditando, ut nemo planius esse locutus putaretur; deinde cum spiritus ejus esset angustior, tantum continenda anima in dicendo est assecutus, ut una continuatione verborum (id quod ejus scripta declarant) binae ei contentiones vocis et remissiones continerentur; qui etiam (ut memoriae proditum est) conjectis in os calculis summa voce versus multos uno spiritu pronuntiare consuescebat, neque is consistens in loco, sed inambulans atque adscensu ingrediens arduo.

16. Cum Hannibal Carthagine expulsus Ephesum ad Antiochum venisset exsul proque[1] eo, quod ejus nomen erat magna apud omnes gloria, invitatus esset ab hospitibus suis, ut Phormionem Peripateticum, si vellet, audiret; cumque is se non nolle[2] dixisset, locutus esse dicitur homo copiosus aliquot horas de imperatoris officio et de omni re militari. Tum, cum ceteri, qui illum audierant, vehementer essent delectati, quaerebant ab Hannibale, quidnam ipse de illo philosopho judicaret. Hic[3] Poenus non optime[4] Graece, sed tamen libere respondisse fertur, multos se deliros senes saepe vidisse, sed qui[5] magis quam Phormio deliraret, vidisse neminem. Neque mehercule injuria[6]. Quid enim aut arrogantius aut loquacius fieri potuit quam Hannibali, qui tot annos de imperio cum populo Romano omnium gentium

[1] Gr. § 227, 5. [2] Gr. § 278. [3] Adverb. [4] = satis male. [5] bezieht sich auf neminem. [6] Gr. § 217 A. 1.

victore certasset, Graecum hominem, qui nunquam hostem, nunquam castra vidisset, nunquam denique minimam partem ullius publici muneris attigisset, praecepta de re militari dare?

17. Cum laesisset testis Silus Pisonem, quod se in eum[1] audisse dixisset: „Potest fieri, inquit Crassus, Sile, ut is, unde[2] te audisse dicis, iratus dixerit.“ Annuit Silus. „Potest[3] etiam, ut tu non recte intellexeris.“ Id quoque toto capite annuit, ut se Crasso daret. „Potest etiam fieri, inquit, ut omnino, quod te audisse dicis, nunquam audieris.“ Hoc ita praeter[4] exspectationem accidit, ut testem omnium risus obrueret.

[1] „gegen ihn“, = „Nachtheiliges über ihn“. [2] Gr. § 353 A. 3. [3] näml. fieri. [4] Gr. § 181.

18. Strato medicus domi furtum fecit et caedem ejusmodi. Cum esset in aedibus armarium, in quo sciret esse numorum aliquantum et auri, noctu duos conservos dormientes occidit in piscinamque dejecit: ipse armarii fundum exsecuit et HS CL[1] et auri quinque pondo[2] abstulit, uno ex servis puero non grandi conscio[3]. Furto postridie cognito omnis suspicio in eos servos, qui non comparebant, commovebatur. Cum exsectio illa fundi in armario animadverteretur, quaerebant homines, quonam modo fieri potuisset. Quidam ex amicis Sassiae recordatus est, se nuper in auctione quadam vidisse in rebus minutis aduncam, ex[4] omni parte dentatam et tortuosam, venire serrulam, qua illud potuisse ita circumsecari videretur. Ne multa[5], perquiritur a coactoribus: invenitur ea serrula ad Stratonem pervenisse. Hoc initio suspicionis orto et aperte insimulato Stratone puer ille conscius pertimuit: rem omnem dominae indicavit: homines in piscina inventi sunt: Strato in vincula conjectus est, atque etiam in taberna ejus numi, nequaquam omnes, reperiuntur.

[1] Gr. § 415. [2] Gr. § 47. [3] absol. Abl. [4] Gr. § 226, 7. [5] Gr. § 395 A.

Curtius Rufus.

I. Alexander genest von einer schweren Krankheit.

1. Alexandri agmen pervenit ad urbem Tarson, cui tum maxime Persae subjiciebant ignem, ne opulentum oppidum hostis invaderet. At ille, Parmenione ad inhibendum incendium cum expedita manu praemisso, postquam barbaros[1] adventu suorum fugatos esse cognovit, urbem a se conservatam intrat. Mediam Cydnus amnis interfluit, non spatio aquarum, sed liquore memorabilis: quippe leni tractu e fontibus labens puro solo excipitur, nec torrentes incurrunt, qui placide manantis alveum turbent[2]: itaque incorruptus idemque[3] frigidissimus, — quippe multa riparum amoenitate inumbratus, — ubique fontibus suis similis in mare evadit. Tunc aestas erat, cujus calor non aliam magis quam Ciliciae oram vapore solis accendit, et diei fervidissimum tempus coeperat. Pulvere simul ac sudore perfusum regem invitavit liquor fluminis, ut calidum adhuc corpus ablueret. Itaque veste deposita, in conspectu agminis — decorum quoque futurum ratus, si ostendisset suis, levi et parabili cultu corporis se esse contentum — descendit in flumen. Vixque ingressi[4] subito horrore artus rigere coeperunt: pallor deinde suffusus est, et totum propemodum corpus vitalis calor reliquit.

[1] i. e. Persas. [2] Gr. § 360. [3] Gr. § 268. [4] Gen., „kaum war er hineingegangen, so fingen seine Glieder an ꝛc."

2. Exspiranti similem ministri manu excipiunt nec satis compotem mentis in tabernaculum deferunt. Ingens sollicitudo et paene jam luctus in castris erat. Flentes querebantur, in tanto impetu cursuque rerum omnis aetatis ac memoriae clarissimum regem non in acie saltem, non ab hoste dejectum, sed abluentem aqua corpus ereptum esse et exstinctum. Instare Darium, victorem, antequam vidisset hostem.

Sibi easdem terras, quas victoria peragrassent, repetendas: omnia aut ipsos aut hostes populatos: per vastas solitudines, etiamsi nemo insequi velit, euntes fame atque inopia debellari posse. Quem[1] signum daturum fugientibus? quem ausurum Alexandro succedere? Jam ut[2] ad Hellespontum fuga penetrarent, classem, qua transeant, quem praeparaturum? Rursus in ipsum regem misericordia versa, illum florem juventae, illam vim animi, eundem[3] regem et commilitonem divelli a se et abrumpi immemores sui querebantur.

[1] Gr. § 324, 3. [2] Gr. § 340, 3. [3] Gr. § 268, „König und Kamerad zugleich, in einer Person".

3. Inter haec liberius meare spiritus coeperat: allevabat rex oculos et, paulatim redeunte animo, circumstantes amicos agnoverat, laxataque vis morbi ob hoc solum videbatur, quia magnitudinem mali sentiebat. Animi autem aegritudo corpus urgebat: quippe Darius quinto die in Cilicia fore nuntiabatur. Vinctum ergo se tradi et tantam victoriam eripi sibi ex manibus obscuraque et ignobili morte in tabernaculo exstingui se querebatur. Admissisque amicis pariter ac medicis: „In quo me, inquit, articulo rerum mearum fortuna deprehenderit, cernitis. Strepitum hostilium armorum exaudire mihi videor[1] et, qui ultro intuli bellum, jam provocor. Darius ergo, cum tam superbas literas scriberet, fortunam meam in consilio habuit: sed nequicquam, si mihi arbitrio meo curari licet. Lenta remedia et segnes medicos non exspectant tempora mea: vel mori strenue quam tarde convalescere mihi melius est. Proinde, si quid opis, si quid artis in medicis est, sciant me non tam mortis quam belli remedium quaerere." Ingentem omnibus incusserat curam tam praeceps temeritas ejus. Ergo pro se quisque precari coepere[2], ne festinatione periculum augeret, sed esset in potestate medentium: inexperta remedia haud injuria ipsis esse[3] suspecta, cum ad perniciem ejus etiam a latere ipsius[4] pecunia sollicitaret hostis. Quippe Darius mille talenta interfectori Alexandri daturum se pronuntiari jusserat. Itaque ne ausurum quidem quemquam ar-

[1] Gr. § 319, 2. [2] Gr. § 197 A. 3. [3] hängt von dixerunt ab, das ergänzt wird. [4] a latere ipsius, Leute von seiner Seite, L. von seiner Umgebung.

bitrabantur experiri remedium, quod propter novitatem posset esse suspectum.

4. Erat inter nobiles medicos ex Macedonia regem secutus Philippus, natione Acarnan, fidus admodum regi: puero comes et custos salutis datus non ut regem modo, sed etiam ut alumnum eximia caritate diligebat[1]. Is non praeceps se, sed strenuum remedium afferre tantamque vim morbi potione medicata levaturum esse promisit. Nulli promissum ejus placebat praeter ipsum, cujus periculo[2] pollicebatur. Omnia quippe facilius quam moram perpeti poterat: arma et acies in oculis erant, et victoriam in eo positam esse arbitrabatur, si tantum ante signa stare potuisset, id ipsum, quod post diem tertium medicamentum sumpturus esset (ita enim medicus praedixerat), aegre ferens. Inter haec a Parmenione, fidissimo purpuratorum, literas accipit, quibus ei denuntiabat, ne salutem suam Philippo committeret: mille talentis a Dario et spe nuptiarum sororis ejus esse corruptum. Ingentem animo sollicitudinem literae incusserant, et quicquid in utramque partem aut metus aut spes subjecerat, secreta aestimatione pensabat. „Bibere perseverem?[3] ut, si venenum datum fuerit, ne immerito quidem, quicquid acciderit, evenisse videatur? Damnem medici fidem? in tabernaculo ergo me opprimi patiar? At satius est alieno me mori scelere quam metu nostro.“ Diu animo in diversa versato, nulli, quid scriptum esset, enuntiat epistolamque, sigillo anuli sui impresso, pulvino, cui incumbebat, subjecit.

[1] ergänze eum. [2] Gr. § 217 A. 1. [3] Gr. § 304.

5. Inter has cogitationes biduo absumpto, illuxit a medico destinatus dies, et ille cum poculo, in quo medicamentum diluerat, intravit. Quo viso Alexander, levato corpore in cubili, epistolam a Parmenione missam sinistra manu tenens accipit poculum et haurit interritus: tum epistolam Philippum legere jubet: nec a vultu legentis movit oculos, ratus aliquas conscientiae notas in ipso ore posse se deprehendere. Ille, epistola perlecta, plus indignationis quam pavoris ostendit: projectisque amiculo et literis ante lectum: „Rex, inquit, semper quidem spiritus meus ex te pependit,

sed nunc vere, arbitror, sacro et venerabili ore trahitur[1]. Crimen parricidii, quod mihi objectum est, tua salus diluet. Servatus a me vitam mihi dederis: oro quaesoque, omisso metu, patere medicamentum concipi venis: laxa paulisper animum, quem intempestiva sollicitudine amici sane fideles, sed moleste seduli turbant.“ Non securum modo haec vox, sed etiam laetum regem ac plenum bonae spei fecit. Itaque: „Si dii, inquit, Philippe, tibi permisissent, quo modo maxime velles animum experiri meum, alio[2] profecto voluisses, sed certiore, quam expertus es, ne optasses quidem. Hac epistola accepta, tamen, quod dilueras, bibi: et nunc crede me non minus pro tua fide quam pro mea salute esse sollicitum.“ Haec locutus dextram Philippo offert.

[1] d. h. hörst du zu athmen auf, so muß ich sterben. [2] näml. modo experiri.

6. Ceterum tanta vis medicamenti fuit, ut, quae secuta sunt, criminationem Parmenionis adjuvarent. Interclusus spiritus arte[1] meabat. Nec Philippus quicquam inexpertum omisit. Ille fomenta corpori admovit, ille torpentem nunc cibi, nunc vini odore excitavit. Atque ut primum mentis compotem esse sensit, modo matris sororumque, modo tantae victoriae appropinquantis admonere non destitit. Ut vero medicamentum se diffudit in venas, et sensim toto corpore salubritas percipi potuit, primum animus vigorem suum, deinde corpus quoque exspectatione[2] maturius recuperavit: quippe post tertium diem[3], quam in hoc statu fuerat, in conspectum militum venit. Nec avidius ipsum regem quam Philippum intuebatur exercitus: pro se quisque[4] dextram ejus amplexi grates habebant velut praesenti deo.

[1] Adv. [2] Gr. § 212 A. [3] = tertio die post, Gr. § 163. [4] Gr. § 227 a. E.

II. Alexander zieht in Babylon ein. Beschreibung Babylons.

1. Babylonem procedenti Alexandro Mazaeus, qui ex acie in eam urbem confugerat, cum adultis liberis supplex occurrit, urbem seque dedens. Gratus adventus ejus fuit

regi: quippe magni operis[1] obsidio futura erat[2] tam munitae urbis. Ad hoc vir illustris et manu promptus et ceteros ad deditionem sui[3] incitaturus exemplo videbatur. Igitur hunc quidem benigne cum liberis excipit: ceterum quadrato agmine, quod ipse ducebat, velut in aciem irent, ingredi suos jubet. Magna pars Babyloniorum constiterat in muris, avida cognoscendi novum regem: plures obviam egressi sunt. Inter quos Bagophanes, arcis et regiae pecuniae custos, ne studio a Mazaeo vinceretur, totum iter floribus coronisque[4] constraverat, argenteis altaribus utroque latere dispositis, quae non ture modo, sed omnibus odoribus cumulaverat. Dona eum sequebantur greges pecorum equorumque: leones quoque et pardales caveis praeferebantur. Magi deinde suo more carmen canentes, post hos Chaldaei Babyloniorumque non vates modo, sed etiam artifices cum fidibus sui generis ibant: laudes hi regum canere soliti, Chaldaei siderum motus et statas vices temporum ostendere. Equites deinde Babylonii, suo equorumque cultu ad luxuriam magis quam ad magnificentiam exacto, ultimi ibant. Rex armatis stipatus oppidanorum turbam post ultimos pedites ire jussit: ipse cum curru urbem ac deinde regiam intravit. Postero die supellectilem Darii et omnem pecuniam recognovit.

[1] Gen. qualitatis. [2] „wäre gewesen", Gr. § 338 A. 1. [3] Gr. § 195 u. A. 2. [4] „mit Blumenkränzen", Hendiadys, Gr. § 398.

2. Ceterum ipsius urbis pulchritudo ac vetustas non regis modo, sed etiam omnium oculos in semet haud immerito convertit. Semiramis eam condiderat, non, ut plerique credidere, Belus, cujus regia ostenditur. Murus instructus laterculo coctili, bitumine interlitus, spatium XXX et duorum pedum in latitudinem amplectitur: quadrigae inter se occurrentes sine periculo commeare dicuntur. Altitudo muri L cubitorum eminet spatio: turres denis pedibus[1] quam murus altiores sunt. Totius operis ambitus CCCLXV stadia complectitur: singulorum stadiorum structuram singulis diebus perfectam esse memoriae proditum est. Aedificia non sunt admota muris, sed fere spatium jugeri unius absunt. Ac ne totam quidem urbem tectis occupaverunt: per LXXX stadia

[1] Gr. § 216.

habitatur, nec omnia continua sunt, credo, quia tutius visum est pluribus locis spargi. Cetera serunt coluntque, ut, si externa vis ingruat, obsessis alimenta ex ipsius urbis solo subministrentur.

3. Euphrates interfluit magnaeque molis crepidinibus coercetur. Sed omnium operum magnitudinem circumveniunt cavernae ingentes, in altitudinem pressae ad accipiendum impetum fluminis, quod, ubi appositae crepidinis fastigium excessit, urbis tecta corriperet, nisi essent specus lacusque, qui exciperent. Coctili laterculo structi sunt: totum opus bitumine adstringitur. Pons lapideus flumini impositus jungit urbem. Hic quoque inter mirabilia orientis opera numeratus est: quippe Euphrates altum limum vehit, quo penitus ad fundamenta jacienda egesto vix sustinendo operi[1] firmum reperiunt solum: arenae autem subinde cumulatae et saxis, quis[2] pons sustinetur, annexae morantur amnem, qui retentus acrius, quam si libero cursu mearet, illiditur. Arcem quoque ambitu XX stadia complexam habent. XXX pedes[3] in terram turrium fundamenta demissa sunt, ad LXXX summum munimenti fastigium pervenit.

[1] Der Dativ bezeichnet die Absicht. [2] = quibus, Gr. § 79, 1 A. [3] Gr. § 173.

4. Super arcem, vulgatum Graecorum fabulis miraculum, pensiles horti sunt, summam murorum altitudinem aequantes multarumque arborum umbra et proceritate amoeni. Saxo pilae, quae totum onus sustinent, instructae sunt: super pilas lapide quadrato solum stratum est, patiens terrae, quam altam injiciunt, et humoris, quo rigant terras: adeoque validas arbores sustinent moles, ut stipites earum VIII cubitorum spatium crassitudine aequent, in L pedum altitudinem emineant, frugiferaeque sint, ut si terra sua alerentur. Et cum[1] vetustas non opera solum manu facta, sed etiam ipsam naturam paulatim exedendo perimat, haec moles, quae tot arborum radicibus premitur tantique nemoris pondere onerata est, inviolata durat: quippe XX pedes lati parietes sustinent, undecim pedum intervallo distantes, ut procul visentibus silvae montibus suis imminere videantur. Syriae regem Baby-

[1] concessiv.

lone regnantem hoc opus esse molitum memoriae proditum est, amore conjugis victum[2], quae desiderio nemorum silvarumque in campestribus locis virum compulit, ut amoenitatem naturae genere hujus operis imitaretur.

[2] Gr. § 208 a A. 1.

III. Scythische Gesandte vor Alexander.

Legati Scytharum XX more gentis per castra equis[1] vecti nuntiare[2] jubent regi, velle ipsos ad eum mandata perferre. Admissi in tabernaculum jussique considere in vultu[3] regis defixerunt oculos. Unum ex his maximum natu ita locutum accepimus:

„Si dii habitum corporis tui aviditati animi parem esse voluissent, orbis te non caperet: altera manu orientem, altera occidentem contingeres et hoc assecutus scire velles, ubi tanti numinis[4] fulgor conderetur. Sic quoque concupiscis, quae non capis. Ab Europa petis Asiam: ex Asia transis in Europam: deinde, si humanum genus omne superaveris, cum silvis et nivibus et fluminibus ferisque bestiis gesturus es bellum. Quid?[5] tu ignoras, arbores magnas diu crescere, una hora exstirpari? Stultus est, qui fructus earum spectat, altitudinem non metitur. Vide, ne[6], dum ad cacumen pervenire contendis, cum ipsis ramis, quos comprehenderis, decidas. Leo quoque aliquando minimarum avium pabulum fuit, et ferrum rubigo consumit. Nihil tam firmum est, cui periculum non sit etiam ab invalido. Quid nobis tecum est? Nunquam terram tuam attigimus. Qui sis, unde venias, licetne[7] ignorare in vastis silvis viventibus? Nec servire ulli[8] possumus nec imperare desideramus. Dona nobis data sunt — ne Scytharum gentem ignores — jugum boum et aratrum, hasta, sagitta, patera. His utimur et cum amicis et adversus inimicos. Fruges amicis damus, boum labore quaesitas: paterā cum iisdem vinum diis libamus: inimicos sagitta emi-

[1] Gr. § 213 A. 2. [2] Subject hiezu ist Derjenige, welchem es zukam, die Fremden einzuführen, vergl. Gr. § 320 A. 1. [3] Gr. § 158 A. 3. [4] näml. solis; zu oriens und occidens ist sol zu ergänzen, Gr. § 30 a. E. [5] Gr. § 395 A. [6] Gr. § 329 A. 2. [7] Gr. § 280 A. 1. [8] statt cuiquam, Gr. § 272, 3 A. 2.

nus, hasta cominus petimus. Sic Syriae regem et postea Persarum Medorumque superavimus, patuitque nobis iter usque in Aegyptum. At tu, qui te gloriaris ad latrones persequendos venire, omnium gentium, quas adisti, latro es. Lydiam cepisti, Syriam occupasti, Persidem tenes, Bactrianos habes in potestate, Indos petisti: jam etiam ad pecora nostra avaras et insatiabiles manus porrigis. Quid[9] tibi divitiis opus est, quae te esurire cogunt? Primus omnium satietate parasti famem, ut, quo plura haberes, acrius, quae non habes, cuperes. Non succurrit tibi, quamdiu circum Bactra haereas? dum illos subigis, Sogdiani bellare coeperunt. Bellum tibi ex victoria nascitur. Nam ut[10] major fortiorque sis quam quisquam, tamen alienigenam dominum pati nemo vult.

Transi modo[11] Tanaim: scies[12], quam late pateant[13], nunquam tamen consequeris Scythas. Paupertas nostra velocior erit quam exercitus tuus, qui praedam tot nationum vehit. Rursus, cum procul abesse nos credes, videbis in tuis castris. Eadem enim velocitate et sequimur et fugimus. Scytharum solitudines Graecis etiam proverbiis audio eludi. At nos deserta et humano cultu vacua magis quam urbes et opulentos agros sequimur. Proinde fortunam tuam pressis manibus tene. Lubrica est nec invita teneri potest. Salubre consilium sequens quam praesens tempus ostendit melius. Impone felicitati tuae frenos; facilius illam reges. Nostri sine pedibus dicunt esse fortunam, quae manus et pinnas tantum habet: cum manus porrigit, pinnas quoque comprehendere non sinit. Denique, si deus es, tribuere mortalibus beneficia debes, non sua eripere: sin autem homo es, id quod es[14], semper esse te cogita. Stultum est, eorum meminisse, propter quae tui obliviscaris. Quibus bellum non intuleris, bonis amicis poteris uti. Nam et firmissima est inter pares amicitia et videntur pares, qui non fecerunt inter se periculum virium. Quos viceris, amicos tibi esse cave[15] credas: inter dominum et servum nulla amicitia est: etiam in pace belli tamen jura servantur. Jurando gratiam Scythas sancire ne credideris[16]:

[9] Gr. § 279 A. 2. [10] Gr. § 340, 3. [11] Gr. § 310 A. [12] „und du wirst ꝛc.", Gr. § 363, 9, d. [13] näml. Scythae. [14] „was du wirklich bist". [15] Gr. § 310. [16] Gr. § 309.

colendo fidem jurant. Graecorum ista cautio est, qui pacta consignant et deos invocant: nos religionem in ipsa fide ponimus. Qui non reverentur homines, fallunt deos. Nec tibi amico opus est, de cujus benevolentia dubites. Ceterum nos et Asiae et Europae custodes habebis: Bactra, nisi dividat Tanais, contingimus: ultra Tanaim usque ad Thraciam colimus: Thraciae Macedoniam conjunctam esse fama est. Utrique imperio tuo finitimos hostes an amicos velis esse, considera."

IV. Indien und seine Bewohner.

1. India tota ferme spectat orientem, minus in latitudinem, quam recta regione[1] spatiosa. Quae austrum accipiunt[2], in altius terrae fastigium excedunt: plana sunt cetera multisque inclitis amnibus Caucaso monte ortis placidum per campos iter praebent. Indus gelidior est quam ceteri: aquas vehit a colore maris haud multum abhorrentes. Ganges, omnium ab oriente[3] fluvius eximius, ad meridianam regionem decurrit et magnorum montium juga recto alveo stringit: inde eum objectae rupes inclinant ad orientem. Uterque rubro mari accipitur. Indus ripas multasque arbores cum magna soli parte exsorbet, saxis quoque impeditus, quis[4] crebro reverberatur: ubi mollius solum reperit, stagnat insulasque molitur: Acesines eum auget. Dyardanes minus celeber auditu est, quia per ultima[5] Indiae currit: ceterum non crocodilos modo, ut Nilus, sed etiam delphinos ignotasque aliis gentibus beluas alit. Ethimantus crebris flexibus subinde curvatus ab accolis rigantibus carpitur: ea caussa est, cur[6] tenues reliquias jam sine nomine in mare emittat. Multis praeter hos amnibus tota regio dividitur, sed ignobilibus. Ceterum, quae propiora sunt mari, aquilone maxime deuruntur: is cohibitus jugis montium ad interiora non penetrat, ita alendis frugibus mitia. Sed adeo in illa plaga mundus statas temporum vices mutat, ut, cum alia fervore solis exaestuant, Indiam nives obruant, rursusque, ubi cetera rigent, illic intolerandus aestus exsistat. Mare, quo alluitur, ne

[1] i. e. in longitudinem. [2] = die südlichen Theile. [3] „im Orient", Gr. § 224, 1, b. [4] = quibus. [5] Gr. § 198 A. 2. [6] Gr. § 318 A. 1.

colore quidem abhorret a ceteris. Ab Erythro rege inditum est nomen: propter quod ignari rubere aquas credunt.

2. Terra lini ferax: inde plerisque sunt vestes. Libri arborum, teneri haud secus quam chartae, literarum notas capiunt. Aves ad imitandum humanae vocis sonum dociles sunt. Animalia inusitata ceteris gentibus, nisi invecta. Eadem terra rhinocerotas alit, non generat. Elephantorum major est vis, quam quos in Africa domitant: et viribus magnitudo respondet. Aurum flumina vehunt, quae leni modicoque lapsu segnes aquas ducunt. Gemmas margaritasque mare litoribus infundit: neque alia illis major opulentiae caussa est, utique postquam vitiorum commercium vulgavere in exteras gentes: quippe aestimantur purgamenta exaestuantis freti pretio, quod libido constituit. Ingenia hominum, sicut ubique, apud illos locorum quoque situs format. Corpora usque ad pedes carbaso velant, soleis pedes, capita linteis vinciunt: lapilli ex auribus pendent: brachia quoque et lacertos auro colunt, quibus inter populares aut nobilitas aut opes eminent. Capillum pectunt saepius, quam tondent: mentum semper intonsum est: reliquam oris cutem ad speciem levitatis exaequant.

3. Regum tamen luxuria, quam ipsi magnificentiam appellant, super omnium gentium vitia. Cum rex semet in publico conspici patitur, turibula argentea ministri ferunt totumque iter, per quod ferri destinavit, odoribus complent. Aurea lectica, margaritis circumpendentibus, recubat: distincta sunt auro et purpura carbasa, quibus indutus est: lecticam sequuntur armati corporisque custodes, inter quos ramis aves pendent, quas cantu seriis rebus obstrepere docuerunt. Regia auratas columnas habet: totas eas vitis auro caelata percurrit, aviumque, quarum visu maxime gaudent, argenteae effigies opera distinguunt. Regia adeuntibus patet, cum capillum pectit atque ornat: tunc responsa legationibus, tunc jura popularibus reddit. Demptis soleis, odoribus illinuntur pedes. Venatus maximus labor est inclusa vivario animalia figere. Binum[1] cubitorum sagittae sunt, quas emittunt majore nisu quam effectu. Quippe telum, cujus in levitate vis omnis

[1] Gr. § 70.

est, inhabili pondere oneratur. Breviora itinera equo conficit: longior ubi expeditio est, elephanti vehunt currum, et tantarum beluarum corpora tota contegunt auro. Feminae epulas parant. Ab iisdem vinum ministratur, cujus omnibus Indis largus est usus.

4. Quis credat inter haec vitia curam esse sapientiae? Unum agreste et horridum genus est, quod sapientes vocant. Apud hos occupare fati diem pulchrum, et vivos se cremari jubent, quibus aut segnis aetas aut incommoda valetudo est: exspectatam mortem pro dedecore vitae habent. Nec ullus corporibus, quae senectus solvit, honos redditur: inquinari putant ignem, nisi qui spirantes recipit. Illi, qui in urbibus publicis moribus degunt, siderum motus scite spectare dicuntur et futura praedicere. Nec quemquam admovere leti diem credunt, cui exspectare interrito liceat. Deos putant, quicquid colere coeperunt, arbores maxime, quas violare capital est. Menses in quinos denos descripserunt dies, anni plena spatia servantur. Lunae cursu notant tempora, non, ut plerique, cum orbem sidus implevit, sed cum se curvare coepit in cornua, et idcirco breviores habent menses, qui spatium eorum ad hunc lunae modum dirigunt.

Titus Livius.

I. Kampf der Horatier und Curiatier.

Forte[1] in duobus[2] tum[3] exercitibus erant trigemini fratres, nec aetate nec viribus dispares. Horatii Curiatiique fuerunt. Cum iis agunt reges, ut pro sua quisque[4] patria dimicent ferro: ibi imperium fore, unde[5] victoria fuerit. Nihil recusatur. Tempus et locus convenit. Priusquam dimicarent, foedus ictum inter Romanos et Albanos est his legibus[6], ut, cujus populi cives eo certamine vicissent, is alteri populo cum bona pace imperitaret. Foedere icto trigemini, sicut convenerat, arma capiunt. Cum sui utrosque[7] adhortarentur, deos patrios, patriam ac parentes, quidquid civium domi, quidquid in exercitu sit, illorum tunc arma, illorum intueri manus, feroces et suopte[8] ingenio et pleni adhortantium vocibus[9] in medium inter duas acies procedunt. Consederant utrimque pro castris duo exercitus periculi magis praesentis quam curae expertes: quippe imperium agebatur, in tam paucorum virtute atque fortuna positum. Datur signum infestisque armis velut acies terni juvenes magnorum exercituum animos gerentes concurrunt. Nec his nec illis periculum suum, publicum imperium servitiumque obversatur animo. Ut primo statim concursu increpuere arma micantesque fulsere gladii, horror ingens spectantes perstringit; et neutro[10] inclinata spe torpebat vox spiritusque. Consertis deinde manibus cum jam non motus tantum corporum agitatioque telorum armorumque, sed vulnera quoque et sanguis spectaculo essent, duo Romani super alium alius vulneratis

[1] Gr. § 48. [2] Gr. § 273 A. 4. [3] im Kriege der Römer mit den Albanern unter dem König Tullus Hostilius. [4] partitive Apposition, Gr. § 197 A. 2. [5] wir: „wo“, vergl. Gr. § 224, 1, b. [6] Gr. § 208a A. 2. [7] Warum Plural? Gr. § 197 A. 3. [8] Gr. § 77 A. 2. [9] Über den Abl. bei plenus Gr. § 219 A. 3. [10] Adverb des Ortes.

tribus Albanis exspirantes corruerunt. Ad[11] quorum casum cum conclamasset gaudio Albanus exercitus, Romanas legiones jam spes tota, nondum tamen cura deseruerat, exanimes vicem[12] unius, quem tres Curiatii circumsteterant. Forte is integer fuit, ut universis solus nequaquam par, sic adversus singulos ferox. Ergo ut segregaret pugnam eorum, capessit fugam, ita ratus secuturos, ut quemque vulnere affectum corpus sineret. Jam aliquantum spatii ex eo loco, ubi pugnatum est, aufugerat, cum[13] respiciens videt magnis intervallis sequentes, unum haud procul ab sese abesse. In eum magno impetu rediit; et dum Albanus exercitus inclamat Curiatiis, ut opem ferant fratri, jam Horatius caeso hoste victor secundam pugnam petebat. Tunc clamore Romani adjuvant militem suum; et ille defungi proelio festinat. Itaque priusquam alter, qui non procul aberat, consequi posset, et[14] alterum Curiatium conficit. Jamque aequato Marte singuli supererant, sed nec spe nec viribus pares. Alterum intactum ferro corpus et geminata victoria ferocem in certamen tertium dabat, alter fessum vulnere, fessum cursu trahens corpus victusque fratrum ante se[15] strage victori objicitur hosti. Nec illud proelium fuit. Romanus exsultans: „Duos, inquit, fratrum manibus[16] dedi, tertium caussae belli hujusce, ut Romanus[17] Albano imperet, dabo.“ Male sustinenti arma gladium superne jugulo defigit, jacentem spoliat. Romani ovantes ac gratulantes Horatium accipiunt eo majore cum gaudio, quo propius metum res fuerat. Ad sepulturam inde suorum nequaquam paribus animis vertuntur, quippe imperio alteri aucti, alteri ditionis[18] alienae facti. Sepulchra exstant, quo quisque loco cecidit.

[11] Gr. § 176, 6. [12] Gr. § 168 A. 2. [13] Gr. § 345 A. 1. [14] „auch“. [15] = priore, Gr. § 232. [16] von manes, ium. [17] Gr. § 151 A. 9. [18] Gr. § 205.

II. Tarquinius und Gabii.

Tarquinius Superbus Gabios urbem nequicquam vi adortus, cum obsidendi quoque urbem spes pulso a moenibus adempta esset, postremo fraude ac dolo aggressus est. Nam cum velut posito bello urbanis operibus intentum se esse

simularet, Sextus filius ejus, qui minimus[1] ex tribus erat, transfugit ex composito Gabios, patris in se saevitiam intolerabilem conquerens: jam ab alienis in suos vertisse superbiam; se quidem inter tela et gladios patris elapsum nihil usquam sibi tutum nisi apud hostes L. Tarquinii credidisse. Cum, si nihil morarentur, infensus ira porro inde abiturus videretur, benigne ab Gabinis excipitur. Vetant mirari, si[2], qualis in cives, qualis in socios, talis ad ultimum in liberos esset. In se ipsum postremo saeviturum, si alia desint. Sibi vero gratum adventum ejus esse, futurumque credere[3] brevi, ut illo adjuvante a portis Gabinis sub Romana moenia bellum transferatur. Inde in consilia publica adhiberi[4]. Ubi cum de aliis rebus assentire se veteribus Gabinis diceret, quibus eae notiores essent, ipse identidem belli auctor esse, et in eo sibi praecipuam prudentiam assumere, quod utriusque populi vires nosset sciretque invisam profecto superbiam regiam civibus esse, quam ferre ne liberi quidem potuissent. Ita cum sensim ad rebellandum primores Gabinorum incitaret, ipse cum promptissimis juvenum praedatum atque in expeditiones iret, et dictis[5] factisque omnibus ad fallendum instructis vana[6] accresceret fides, dux ad ultimum belli legitur. Ibi cum inscia multitudine, quid ageretur, proelia parva inter Romam Gabiosque fierent, quibus plerumque Gabina res superior esset, tum certatim summi infimique Gabinorum Sex. Tarquinium dono deum[7] sibi missum ducem credere. Apud milites vero obeundo pericula ac labores pariter, praedam munifice largiendo tanta caritate[8] esse, ut non pater Tarquinius potentior Romae quam filius Gabiis esset. Itaque postquam satis virium collectum ad omnes conatus videbat, tum ex suis unum sciscitatum[9] Romam ad patrem mittit, quidnam se facere vellet, quandoquidem, ut omnia unus Gabiis posset, dii dedissent. Huic nuntio, quia credo dubiae fidei videbatur, nihil voce responsum est. Rex velut deliberabundus in hortum aedium transit sequente nuntio filii: ibi

[1] näml. natu. [2] wie oft mirum est si, Gr. § 318 A. 9. [3] Ergänze den Subjectsaccus. se. [4] histor. Infinitiv. [5] instrumentaler, nicht absol. Abl. [6] „das obgleich unbegründete Vertrauen". [7] Gen. [8] abl. qualitatis. [9] Supin.

inambulans tacitus summa papaverum capita dicitur baculo decussisse. Interrogando exspectandoque responsum nuntius fessus, ut re imperfecta, redit Gabios; quae dixerit ipse quaeque viderit, refert: seu ira seu odio seu superbia insita ingenio nullam eum vocem emisisse. Sexto ubi, quid vellet parens quidve praeciperet tacitis ambagibus, patuit, primores civitatis criminando alios apud populum, alios sua ipsos[10] invidia opportunos interemit. Multi palam, quidam clam interfecti. Patuit quibusdam volentibus fuga, aut in exsilium acti sunt, absentiumque bona juxta[11] atque interemptorum divisui fuere. Largitiones inde praedaeque; et dulcedine privati commodi sensus malorum publicorum adimi, donec orba consilio auxilioque Gabina res regi Romano sine ulla dimicatione in manum traditur.

[10] Gr. § 263, 2. [11] Gr. § 351.

III. T. Manlius läßt seinen Sohn tödten.

Bello Latino edicunt consules T. Manlius Torquatus et P. Decius Mus, ne quis extra ordinem in hostem pugnaret. Forte inter ceteros turmarum praefectos, qui exploratum in omnes partes dimissi erant, T. Manlius consulis filius super castra hostium cum suis turmalibus evasit, ita ut vix teli jactu[1] ab statione proxima abesset. Ibi Tusculani erant equites. Praeerat Geminus Maecius, vir cum genere inter suos tum factis clarus. Is ubi Romanos equites insignemque inter eos praecedentem consulis filium cognovit: „Unane, inquit, turma, Romani, cum Latinis sociisque bellum gesturi estis? quid interea consules, quid duo exercitus consulares agent?“ „Aderunt in tempore[2], inquit Manlius, et cum illis aderit Juppiter ipse, foederum a vobis violatorum testis, qui plus potest polletque. Si ad Regillum lacum ad satietatem vestram pugnavimus, hic quoque efficiemus profecto, ne nimis acies vobis et collata signa nobiscum cordi sint.“ Ad ea Geminus paulum ab suis equo provectus: „Visne igitur, dum dies ista venit[3], qua magno conatu exercitus moveatis, interea tu ipse congredi mecum, ut nostro duorum jam hinc eventu

[1] Über den Abl. Gr. § 173, 2. [2] Gr. § 161 A. 2. [3] „kommen wird“, Gr. § 349.

cernatur, quantum eques Latinus Romano praestet?" Movet ferocem animum juvenis seu ira seu detractandi certaminis pudor seu inexsuperabilis vis fati. Oblitus itaque imperii patrii consulumque edicti praeceps ad id certamen agitur, quo vinceret an vinceretur haud multum interesset. Equitibus ceteris velut ad spectaculum summotis spatio[4] quod vacui interjacebat campi adversos concitant equos; et cum infestis cuspidibus concurrissent, Manlii cuspis super galeam hostis, Maecii trans cervicem equi elapsa est. Circumactis deinde equis cum prior ad iterandum ictum Manlius consurrexisset, spiculum inter aures equi fixit. Ad[5] cujus vulneris sensum cum equus prioribus pedibus erectis magna vi caput quateret, excussit equitem, quem cuspide parmaque innixum attollentem[6] se ab gravi casu Manlius ab jugulo, ita ut per costas ferrum emineret, terrae affixit. Spoliisque lectis ad suos revectus cum ovante gaudio turma in castra atque inde ad praetorium ad patrem tendit, ignarus facti futurique, laus an poena merita esset. „Ut me omnes, inquit, pater, tuo sanguine ortum vere ferrent, provocatus equestria haec spolia capta ex hoste caeso porto." Quod ubi audivit consul, extemplo filium aversatus contionem classico advocari jussit. Quae ubi frequens convenit: „Quando, inquit, tu, T. Manli, neque imperium consulare neque majestatem patriam veritus adversus edictum nostrum extra ordinem in hostem pugnasti et, quantum in te fuit[7], disciplinam militarem, qua stetit ad hanc diem Romana res, solvisti meque in eam necessitatem adduxisti, ut aut reipublicae mihi aut mei meorumque obliviscendum sit, nos potius nostro delicto plectemur, quam respublica tanto suo damno nostra peccata luat[8]. Triste exemplum, sed in[9] posterum salubre juventuti erimus. Cum aut morte tua sancienda sint consulum imperia aut impunitate in perpetuum abroganda, ne te quidem, si quid in te nostri sanguinis est, recusare censeam[10], quin disciplinam militarem culpa tua prolapsam poena restituas. I, lictor, deliga ad palum." Exanimati omnes tam atroci imperio, nec

[4] = spatio vacui campi, quod. [5] Gr. § 176, 6. [6] „erheben wollend", Gr. § 293 A. 2. [7] Gr. § 230, b, a. E. [8] Gr. § 351 A. 2. [9] Gr. § 230, a, 2. [10] Potentialis.

aliter quam in se quisque destrictam cernentes securim, metu magis quam modestia quievere. Itaque velut emerso ab admiratione animo, repente, postquam cervice caesa fusus est cruor, tum libero conquestu coortae voces sunt, ut neque lamentis neque exsecrationibus parceretur, spoliisque contectum juvenis corpus, quantum militaribus studiis funus ullum concelebrari potest, structo extra vallum rogo cremaretur, Manlianaque imperia non in praesentia modo horrenda, sed exempli etiam tristis in posterum essent.

IV. Hannibals Gespräch mit Scipio.

Claudius, secutus Graecos Acilianos libros, P. Africanum tradit Ephesi collocutum cum Hannibale; et sermonem unum etiam refert, quo quaerenti Africano, quem fuisse maximum imperatorem Hannibal crederet, respondisse Alexandrum Macedonum regem, quod parva manu innumerabiles exercitus fudisset, quod ultimas oras, quas visere supra spem humanam esset, peragrasset. Quaerenti deinde, quem secundum poneret, Pyrrhum dixisse castra metari primum docuisse; ad hoc neminem elegantius loca cepisse, praesidia disposuisse; artem etiam conciliandi sibi homines eam habuisse, ut Italicae gentes regis externi quam populi Romani, tam diu principis in ea terra, imperium esse mallent. Exsequenti, quem tertium duceret, haud dubie semet ipsum dixisse. Tum risum obortum Scipioni, et subjecisse: „Quidnam tu diceres, si me vicisses?“ „Tum vero me, inquit, et ante Alexandrum et ante Pyrrhum et ante alios omnes imperatores esse.“ Et perplexum Punico astu responsum et improvisum assentationis genus Scipionem movisse, quod e grege se imperatorum velut inaestimabilem secrevisset.

V. Philopömens Tod.

Messenii desciverant a concilio Achaico. Cujus belli eventus memorabilis est, quod, cum bello superiores essent Achaei, Philopoemen praetor eorum capitur, in valle iniqua cum equitibus paucis oppressus. Ipsum potuisse effugere Thracum Cretensiumque auxilio tradunt; sed pudor relin-

quendi equites, nobilissimos gentis, ab ipso nuper electos, tenuit. Quibus dum locum ad evadendas angustias cogendo ipse agmen praebet, sustinens impetus hostium, prolapso equo et[1] suo ipse casu[2] et onere equi super eum ruentis haud multum abfuit quin exanimaretur, septuaginta annos jam natus, et diutino morbo, ex quo tum primum reficiebatur, viribus admodum attenuatis. Jacentem hostes superfusi oppresserunt; cognitumque primum a[3] verecundia memoriaque meritorum haud secus quam ducem suum attollunt reficiuntque et ex valle devia in viam portant, vix sibimet ipsi prae[4] necopinato gaudio credentes; pars nuntios Messenen praemittunt debellatum esse, Philopoemenem captum adduci. Primum adeo incredibilis visa res, ut non pro[4] vano modo, sed vix pro sano nuntius audiretur. Deinde ut super alium alius idem omnes affirmantes veniebant, tandem facta fides; et priusquam appropinquare urbi satis scirent, ad spectaculum omnes simul liberi ac servi, pueri quoque cum feminis, effunduntur. Itaque clauserant portam turba, dum pro se quisque, nisi ipse oculis suis credidisset, vix pro comperta tantam rem habiturus videretur. Aegre[5] summoventes obvios intrare portam, qui adducebant Philopoemenem, potuerunt. Aeque conferta turba iter reliquum clauserat; et cum pars maxima exclusa a spectaculo esset, theatrum repente, quod propinquum viae erat, compleverunt, et ut eo in conspectum populi adduceretur, una voce omnes exposcebant. Magistratus et principes veriti, ne quem motum misericordiă praesentis tanti viri faceret, cum alios verecundia pristinae majestatis, alios recordatio ingentium meritorum motura esset, procul in conspectu eum statuerunt, deinde raptim ex oculis hominum abstraxerunt dicente praetore Dinocrate, esse quae pertinentia ad summam belli percunctari eum magistratus vellent. Inde abducto eo in curiam et senatu vocato consultari coeptum. Jam invesperascebat, et non modo[6] cetera, sed ne in proximam quidem noctem ubi satis tuto custodiretur, expediebant. Obstupuerant ad magnitudinem pristinae ejus

[1] bezieht sich auf das folgende et, „sowohl — als auch". [2] gehört zu exanimaretur. [3] bezeichnet den Grund, wie häufig ex. [4] Gr. § 227. [5] gehört zu intrare potuerunt. [6] = non modo non, Gr. § 363, 7.

